

10
1762, 1 4
**DISSE^TRAT^IO IVRIDICA IN AVGVRALIS
DE
PARENTIBVS ET FRATRIBVS
EX LEGE XXX. C. DE INOFFICIOSO
TESTAMENTO AGERE VALENTIBVS**

QVAM
IN INCLVTA ACADEMIA IULIA CAROLINA
ILLVSTRIS IVRE CONSVLTORVM ORDINIS
AVCTORATATE ET CONSENSV
PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE
HONORIBVS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS
AD DIEM II. APRILIS MDCCXLII.
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS
IN IULEO MAIORI
PVBLICE DEFENDET
CONRADVS HEINEKEN

BREMENSIS

HELMSTADII
EX OFFICINA LEVCKA



DESTITUTIO LIBRIS IN LIBRARIIS

DE

PARTIBVS ET LIBRARIA

EX LIBRIS G. Z. ZONGBECKI

EX LIBRIS J. C. VON VONTELLUS

EX LIBRIS A. F. VON VONTELLUS

LIBERAE ATQVE INCLVTAE
S. R. I. REIPUBLICAE BREMENSIS
SENATVI SPLENDIDISSIMO
PERILLVSTRBVS MAGNIFICIS
EXCELLENTISSIMIS AMPLISSLIMIS
CONSVLTISSIMIS PRUDENTISSIMISQUE
DOMINIS DOMINIS
C O N S V L I B V S
S Y N D I C O
S E N A T O R I B V S
ET INTER HOS
P A R E N T I S V O
OMNI HONORIS ET PIETATIS CVLTV
AETERNV PROSECVENDO

PATRIAEE PATRIBVS
LIBERTATIS RELIGIONIS ET IVSTITIAE
VINDICIBVS STRENVISSIMIS
MVSARVM TVTORIBVS PROPENSISSIMIS
PATRONIS AC FAVTORIBVS SVIS
AD CINERES VSQVE DEVENERANDIS
CVM OMNIGENAE FELICITATIS VOTO
DISSERTATIONEM HANC IN AVGVRALEM

DEVOTA MENTE

D. D. D.

CONRADVS HEINEKEN.



DE
PARENTIBVS ET FRATRIBVS
EX L. XXX. C. DE INOFFIC. TESTAM.
AGERE VALENTIBVS.

PROE MIVM
RATIONEM INSTITVTI EXHIBENS.



uum frequentissima in foro de successionibus sit disputatio, iuris circa illas uerantibus uberior expositio plane inutilis existimari nequit. Amplissimae autem huius materiae haud ignobilis est particula, quae replectionem legitimae, a testatore ex parte tantum relictæ, spectat. Vnde non incongruum uidetur, conditionem ex L. 30. C. de inoff. testam. ad supplementum legitimae tendentem, in praesentiarum mihi tractandam su-

6. DISSERTATIO IURIDICA

mere, et personas, quibus hoc remedium competit, enarrare. Attamen cum nonnulla huius thematis iam occupauerit SWE-DERVS, liberorum ius exigendi supplementum legitimae fatis copiose examinans, a) millis liberis de solis parentibus et fratribus exponam. Proinde in Sectione prima dissertationis nonnulla, quae ad condicione memoratam generatim spectant, praemissorus sum, deinceps vero in Sectione secunda diuersas parentum et fratum species, singulorumque ius dicto remedio experiundi, uentilabo.

SECTIO PRIMA
DE CONDICIONE EX L. XXX. C. DE INOFF. TEST.
GENERATIM SPECTATA.

§. I.

LEGITIMA EIVSQUE QUANTITAS DEFINITVR.

Portionem hereditatis ab intestato competentis ex praescripto legum certis personis debitam, in iure Romano legitimam vocari, inter omnes constat. Qua denominatione cum κατ' ἔξοχην innuatur portio liberis, parentibus, et fratribus relinquenda, legitimam hic quoque in sensu isto strictiore accipio. Iure veteri absoluebatur illa parte quarta successionis ab intestato debitae, sed eam uel trientem uel semifem esse uoluit IVSTINIANVS, prout illi, quibus legitimam largiuntur LL. uel intra quaternarium numerum consistunt, uel illum excedunt. Negant quidem nonnulli DD, b) augmen-

tum
a) in Diff. de condicione ex L. lib-
eris ad supplementum legitimi-
iae competente.

b) Et quidem quoad parentes et
fratres CVCHV& de Legitima,

sub rubr. Legitima parentum
an sit aucta, BATTANV DIER
de Legitima c. 4. nr. 30. quod ad
hos folios VOET ad ff. Tit. de
inoff. test. §. 46. MERLINVS
de Legitima L. 1. Tit. 3. Quaest. 5.

tum illud in parentibus et fratribus quoque obtinere, uerum argumenta eorum non sunt eius roboris, ut calculum mereantur. Quamuis enim in rubro Nou. 18. c. 1., quae huius materiae sedes est, liberorum tantum fiatmentio, eosque solos ipsum nigrum nominet, per uerba finalia tamenea, quae in antecedentibus secundum liberos disponit legislator, clarissime extenduntur ad omnes personas, in quibus ab initio antiquae quartae ratio obtinet. Nec ultima laudatae Nou. uerba comode, uti uolunt dissentientes, explicari possint de solis liberis. Licet enim filii tantum nominentur in praecedentibus, et ita praeter filios reliqui adhuc descendentes superesse uideantur, ad quos ea, quae circa filios sancta erant, extendi potuissent, termini tamen clausulae subjectae sunt nimis uniuersales, quam quibus sola liberorum species respondeat. Quae autem de legibus correctoris stricte interpretandis et potiori liberorum prae parentibus et fratribus fauore afferunt, ea utpote principia ratiocinandi valde lubrica et indeterminata contra clara legum dispositiones minime obtinent. c)

§. II.

DE COMPUTATIONE LEGITIMAE NONNULLA
TRADVENTVR.

Quomodo autem hic triens uel semissis in dato casu computandus sit, est doctrina nimis usq[ue] ambitus, quam quae pro instituti ratione digne hic tractari queat. Et cum in illa enucleanda satis defudauerint DD, unicum tantum, quod legitimam parentum et fratum proprius tangit, monebo. Nimurum totum illud, cuius triente uel semiisse absoluitur legitima

c) Cf. WESTENBERG de Potione legitima Diff. III. c. 3. §. 14.
BOEHMERI Diff. de potioni-

bus fratrum iuribus cap. V.
ff. 29.

gitima est complexus eorum, quae is, cui legitima debetur, consecutus fuisset, si ab intestato successisset. d) Si ille, de cuius legitima quaeritur, solus habuit ius succedendi ab intestato, fors legitimae est uniuersa bonorum massa. Sin plures eodem iure succedendi ab intestato gauisi fuerunt, necesse est, ut portio bonorum, quam quis accepisset, si ab intestato successisset, constituat illud totum, de quo disputamus. Cum autem definitio eius portionis ab intestato debitae pendeat a numero illorum, qui ius succedendi habent, facile colligitur, in determinanda sorte legitimae, ideoque in computando triente uel semisse, respiciendas esse omnes personas, quae successissent ab intestato, quamvis illae in dato casu legitimam petere nequeant. Ita se res habet iure Pandectarum et Codicis. Sed caue, ne istum competandi modum adhuc hodie inceas. Nam mutauit illum I V S T I N I A N U S per Nou. 18. c. 1. in qua non respexit ad successionem ab intestato sed iussit, ut illis, quibus debetur legitima, simul sumtis triens uel semissis *propriae substantiae* et ita totius hereditatis a testatore relinquetur et ille singulis pro rata diuinitatur.

§. III.

L E G I T I M A P R A E C I S E T I T U L O IN S T I T U T I O N I S
D A N D A N O N E S T , A T T A M E N H E R E D E S I N S T I -
T V E N D I S V N T L I B E R I E T P A R E N T E S .

Quoniam plurimum interest, quo titulo aliquid accipiamus, haud inanis est quaestio, utrum ad dandam legitimam titulus institutionis requiratur, an aliud sufficiat. Et ante Nou. 115. posterius obtinuisse, utique respondendum est, siquidem ius

d) L. 8. §. 6. ff. de inoff. test. L. 8. L. 31. C. cod.

fus nostrum pluribus locis a) permittit, ut titulo singulari relinquatur. Vnde consequitur, eo tempore praeteriri potuisse illos, quibus legitima debetur, si uel alio modo defunctus illam assignauerat. Nec hucusque distinguunt LL. inter liberos et parentes ac fratres. Verum per Nou. 115. c. 3. 4. et 5. aliud ratione liberorum et parentum introduxit IVSTINIANVS iubens, ut illi instituantur heredes. Caeu autem, ne exinde concludas, legitimam titulo institutionis relinquendam esse, uti vulgo faciunt DD. b) *Sola enī, inquit Imperator, seruitatis noſtræ intentio eſt, iniuriam praeteritionis et exhereditationis a liberis et parentibus auferre,* ideoque solum honorem, qui illis haberi credebatur, c) qui heredes instituerentur, resperxit. Ratione huius finis autem perinde erat, utrum in tota legitima, an in minima eius parte instituerentur heredes. Et hic scopus non solum attingitur, quando pars quota hereditatis datur, sed etiam tunc, quando in re certa instituitur heres. Quin idem finis etiam obtinetur, licet in institutione heredis non fiat mentio legitimae, sed haec separatim legato uel alio titulo singulari relinquatur. Nam omnibus his modis neque exheredatur neque praeteritur is, cui legitima debetur. Per solam itaque institutionem heredis, siue in parte quota, siue in re certa, satisfit nouae Imperatoris voluntati, et hoc facto ipsa legitima etiam titulo singulari potest relinquiri. Caeterum, ait IVSTINIANVS, d) *si qui heredes fuerint nominati, etiam si certis*

B

rebus

L. 8. pr. et L. 22. ff. de inoff. test. et maiori honore habitum suisse titulum institutionis, quam legati, docet L. 5. §. 6. de legat. praefland. contra tab. bon. poss. petita.

a) 6. ult. I. de inoff. test. L. 8. §. 6.
ff. Eod. L. 35. §. 2. C. Eod. Nou.
18. c. 1.

b) MULLER AD STRV. Exercit. X. §. 30. WESTENBERG
de Port legit. Diff. IV. c. 1. §. 4.

c) Aliquam enim contumeliae notam haefisse exheredatis patet ex

d) Nou. 115. c. 5. pr.

IO D I S S E R T A T I O I V R I D I C A

rebus iussi fuerint esse contenti, hoc casu testamentum quidem nullatenus solui praecepimus. Quicquid autem minus portione legitimi reliquum est, hoc secundum nostras alias leges ab heredibus impleri.

§. V.

F R A T R E S V T I N S T I T U V A N T V R H E R E D E S N O N
O P V S E S T .

Quod autem ad fratres attinet, illi neque explicite neque implicite hac noua constitutione heredes institui iubentur. Nec interpretatio extensiva hic admitti potest. Imperator enim non generatim et breuibus uerbis vetera iura abrogat, sed speciatim de liberis c. 3. cit. Nov. nouum ius constituit, et eandem dispositionem iisdem fere uerbis, quod ad parentes c. 4. diserte repetit. A uero autem maxime abludit, I V S T I N I A N V M tertiam illorum, quibus legitima debetur, speciem omisit, si in illa quoque ius antiquum hac ex parte abrogare uoluerit. Cui accedit, quod exhereditatio et praeteritio fratum protanta iniuria non habebatur, siquidem in plurimis casibus necesse non erat, illis uel minimum relinquere.

§. VI.

L I B E R O R V M E T P A R E N T V M I N S T I T U V T I O A D E O
N E C E S S A R I A E S T , V T I L L I S V B E S T I T U V I N E
Q V E A T A L I V S M O D V S .

Quum §. IV. demonstrauerim, liberos et parentes iure nouo praecepsis instituendos esse heredes, facile colligitur huic institutioni plane necessariae non substitui posse alium modum. Falluntur itaque, qui sufficere contendunt, si testator pro legitima aliquid reliquerit, neque id ex manu heredis capiendum esse declarauerit, uel si legitimae nomine dos data fit.

fit. Late quidem demonstrare studet SWEDERVs, a) illum, qui dictis modis legitimam assignat, eam titulo institutionis relinquere voluisse, ideoque modos illos pro institutione habendos esse. Et LEYSERVs b) idem afferit de patre, qui liberos rebus a se viuo relictis contentos esse iubet. Verum si IVSTINIANI hoc consilium fuisset, ut ea, quae forsan in mente parentum et liberorum versantur, consideraret, profecto non opus fuisset, ut pristina iura immutaret. Cum autem expresse abrogavit ius antiquum, ex quo eiusmodi modis sufficiebant, et diserte requisuit, ut honos institutionis habetur liberis et parentibus, certissimum est, illum noluisse, ut pro institutis haberentur, quibus alio modo, quam intercedente institutione aliquid reliquisset testator. Et quid clarius ad reiiciendam dissentientium sententiam dici potest, quam quod IVSTINIANVS ait: c) *Sancimus, non licere penitus patri vel matri filium vel filiam vel cacteros liberos praeterire, nec si i. e. ne tunc quideon, si per quamlibet donationem vel legatum vel fidicommisum vel alium quemcumque modum eis dederit legibus debitam portionem.* Ex iisdem fluit, omissionem institutionis non emendari per clausulam codicillarem. Quamvis enim vel maximas vires huic clausulae largiamur, sumnum eius robur tamen esset, ut testamentum per se non validum codicilli viribus donaret. Ex eo autem non sequeretur, ut ille, qui non institutus est heres, utique heres nominatus dicendus esset, maxime cum hoc modo liberis et parentibus non habeatur honos ille, quem praecipue respexit Imperator.

B 2

§. VII.

a) in cit. Diff. §. 24. 25.

b) Spec. CCCLVI. m. 9.

c) Nou. II. c. 3.

§. VII.

I N S T I T U T I O N O N N O F I R M A T U R P E R S U B S E Q V E N T E M I N C O D I C I L L I S E X H E R E D A T I O N E M V E L R E L I C T O R V M A D E M T I O N E M .

Contingit quandoque, ut quis illos, qui necessario institui debent heredes, in testamento heredes nomine sed eosdem in codicillis vel exherede, vel iis res assignatae adimat. Constat autem, directo quenquam in codicillis nec exheredari nec institui posse. a) Ex quo sequitur, nominationem heredis in testamento factam infirmari non posse per exheredationem directam, quae codicillis continetur. Quodsi autem per modum fidelcommisso facta sit exclusio ab uniuersis defuncti bonis, institutio nihilominus uires suas retinet, quoniam haec indirecta eius reuocatio pro non adiecta habetur. Nam diserte constituit **I V S T I N I A N V S** b) *ut si iu-
ra illorum, quibus legitima competit, aliqua dispositione, moram
modum vel aliud grauamen introducente, immunita videantur, illa
dispositio tollatur et ita res procedat, quasi nihil eorum testamento sit
additum.* Quae cum ita sint in reuocatione institutionis uniuersali, multo minus res titulo singulare relictae adimi et in alterum transferri possunt. Quodsi ergo parentes et liberi in testamento heredes nominati sint, iisdemque illa, in quibus instituti sunt heredes, in codicillis admantur, institutio nihilominus manet firma, et externa codicillorum ui minime conquaſſatur.

§. VIII.

D V P L I C I M O D O T I T , V T L E G I T I M A T O T A N O N S I T S A L V A .

Haec sufficient de titulo, quo dari debet legitima. Li-
cet

- a) L. 27. §. 1. ff. de condit. inst. L. b) L. 36. pr. C. de inoff. testam.
2. C. de codic.

cet autem circa illum omnia rite obseruata sint, adhuc requiritur tamen, ut legitima tota relinquatur. Computantur in illam non solum, quae titulo uniuersali in ultima voluntate relicta, sed etiam, quae data sunt nomine dotis, donationis propter nuptias, et per donationem mortis causa, uel inter uiuos ea sub conditione, ut in legitimam imputetur, factam. Et idem de emta militia speciatim constituit **I V S T I N I A N V S** a). Duplici autem modo efficitur, ut per ea, quae ita data sunt, legitima non sit salua in totum. Primus est, si res relictae non exaequent totum trientem uel semissim. Deinde id contingit, si ea res, quae data est in legitimam, euincatur. De qua posteriori specie diserte cavit **I V S T I N I A N V S**, b) ut siue res data in totum, siue pro parte fuerit euicta, repletio fieri debeat. Quibus uerbis satis declarauit Imperator, in eo casu, quando omnia, quae data sunt, euincuntur, exilium non debere, quasi ab initio penitus nihil relictum. Vnde et in eo casu querela inoff. test. concedenda non est. Et cum ide[m] legislator non distinxit, utrum testator, rem datam alienam esse, scuerit nec ne, iureconsultis quoque animus dantis non respiciendus esse uidetur. Quae omnia uero cum sancta sint, antequam ad excludendam querelam parentum et liberorum requireretur, ut illi titulo institutionis honorentur, forsitan quis putaret, per nouum hoc ius ea, quae modo dicta sunt, aliqua ex parte immutata esse. Sed Nou. 115. nihil aliud intendit, quam ut iniuria praeteritionis et exheredationis arceatur a parentibus et liberis. Sicut autem olim heredis nomen retinebat, qui totam hereditatem restituebat, ita quoque honor institutionis non perit per subsecutam postea euictiōnem. Itaque et post Nou. 115. in casu quaestionis querela in-

B 3 off

a) V. L. 30. §. ult. C. de inoff. test. b) In L. 36. pr. C. de inoff. testam.

offi test. locum non habet. Quae sententia adhuc plus roboris ex eo accipere uidetur, quod illa ultimae voluntatis conservatio in seruia, cui insigniter fauissime IVSTINIANVM L. 31. C. de inoff. test. docet.

§. IX.

SUPPLEMENTVM LEGITIMAE PRAESTANDVM EST.

Quodsi ergo uel uno vel altero modo factum est, ut legitima tota non sit falsa, saepius prouida ipsius testatoris cura iam prospexit illis, quibus legitima debetur, iniungendo heredibus repletionem legitimae. Et hoc casu supplementum ex ipsa ultima voluntate debetur. Sin autem ea de re nihil adiecit testator, id, quod minus legitima relictum est, salvo testamento supplerre iubet IVSTINIANVS in L. XXX. C. de inoff. test. Quod ad res, quibus praestari potest supplementum illud, disponit ius nostrum, a) ut repletio fiat ex substantia testatoris. Vnde, quicquid ille, cui minus legitima relictum est, uel ex substitutione, uel iure accrescendi, uel similibus ex causis lucratus est, iure aduentitio ad illum pertinere et in supplementum computandum non esse dicitur. b) Caeterum nullum singulare genus rerum praescribunt leges, quin cum olim disputatum esset, ut uidetur, utrum supplementum legitimae in pecunia praestari queat, omne dubium iam fuitulit CONSTANTIUS Imperator. c) Modum repletionis quod attinet, illa fieri debet sine ulla mora vel grauamine, d) adeoque, si hoc non obseruatur, damnum inde emergens reparandum est.

§. X.

a) L. 36. C. de inoff. test.

b) L. cit.

c) L. 4. C. Theod. de inoff. test.

d) L. 30. C. de inoff. test.

De istis illis Rer. Rom. §. X.
OMNES QVIBVS LEGITIMA DEBET VR EXIGERE
POSSVNT ID, QVOD MINVS ILLA RE-
LICTVM.

Hactenus attuli ea, quae faciunt ad determinandum id, quod minus legitima relictum est, iam inquiramus, quinam illud exigere possint. Horum in numero sunt omnes, quibus legitima debetur. Luculenter id apparet ex fine, quem IVSTINIANVS, de supplemento legitimae petendo disponens, ante oculos habuit. Etenim cuicunque eorum, quibus legitima hucusque competierat, illam adimere nolebat, sed occasionem euerfendi testatorum voluntates tantum amputare cupiebat. Hinc tam liberis quam aliis personis, quibus *actio de inofficio competere poterat*, a) concedit, ut id, quod minus legitima ipsis relictum esset, peterent. In qua dispositione Imperatoris licet haud nominentur parentes et fratres, luce meridiana clarius tamen patet, illos sub eadem comprehendi, adeoque iis quoque licere supplementum legitimae exigere. Et hac generali parentum et fratrum denominatione hic subsisto, singulares eorum species Sect. II. uberiorius examinaturus.

§. XI.

IUS EXIGENDI SUPPLEMENTVM LEGITIMAE
TRANSIT AD HERedes ETIAM EXTRANEOS.

Non leuis autem momenti hic suboritur quaestio, sci-
licet an, si illi, quibus legitima debetur, eius supplementum
non petierint, eorum heredes tamen illud postulare queant.
De eo quidem dubitandum non est, petitionem illam quan-
doque

a) V. L. 30. L. 31. L. 32. L. 35. §. 2. C. de inoff. test.

doque transmitti. Cum enim querela inoff. test. transeat ad heredes, non solum quando illa est praeparata a) sed etiam, quando exclusa legitima, deliberante scripto herede, decepit, b) idem in exigendo supplemento obtinere nemo facile ibit inficias, sed an etiam citra hos casus petitio supplementi simpliciter ad heredes transmittatur, non adeo liquide constat. Quia in re ut ordine procedamus, heredes sanguine iunctos ab extraneis heredibus secernamus. Ad illos ius exigendi supplementum transfire, fere omnes uno ore fatentur DD. c) Quod autem heredes extraneos attinet, subscribe-re cogor sententiae illorum, qui eiusmodi heredes ad petitio-nem supplementi admittunt. Actiones enim in regula, etiam si non sint praeparatae, ad heredes omnis generis transfire, docet Vlpianus, generalem regulam constituens: d) *Heres eiusdem potestatis iuris que est, cuius defunditus fuit.* Cum autem exceptionem statuere non licet, nisi de manifesta legislato-ri voluntate constet, ab illa regula non est eximenda actio nostra, de qua LL. hac in re nihil singulare statuerunt. Si-
cut ergo ille, cui legitima debetur, supplementum eius pe-
tere potest, ita et heres eiusdem iuris et potestatis esse me-
rito censemur. Accedit et alia ratio. Pone, testatorem iufi-
sse, ut id, quod minus forte legitima datum esset, arbitratu-
boni viri repleretur. Hoc casu illum, cui legitima compete-
bat, actionem ex testamento habuisse illamque ad heredes
extraneos transmisisse nemo dubitabit. Iam uero IUSTI-
NIANVS casum illum, quando de supplemento legitimae
nihil

- a) L. 7. ff. de inoff. test. test. §. 67. Gail. L. II. Obs. 120.
 b) L. 34. C. de inoff. test. ibique all. DD.
 c) V. Voet. ad ff. Tit. de inoff. d) In L. 59. de R. I.

nihil adiecit testator, alteri, quando repletio eius iniuncta est heredibus, exaequare, idemque in utroque obtinere uoluit. e) Nec propositum ei fuit, istam exæquationem in solius testatoris fauorem, cum damno illorum, quibus legitima debetur, constitui, sed utriusque emolumenta obseruare et tam mortuis testatoribus, quam liberis eorum aliisue personis, quibus legitima debetur, consulere. f) Profecto autem IVSTINIANVS non prospexit illis, quibus legitima competit, si in eo casu, quo quiescere iubebat querelam hucusque obtinentem, atque adeo conditionem illorum iam aliqua ex parte deteriorem reddebat, supplementi exactionem ad extraneos eorum heredes transfire noluisse, ad quos tamen in altero casu, cui hunc assimilabat, eam transfire nouerat. Nec opus erat, ut Imperator speciatim declararet, se uelle, ut idem in utraque specie obtingeret circa transmissionem iuris exigendi legitimam. De eo enim dubitandum non erat, quum cautum esset, g) ut quamvis repletio eius, quod minus legitima datum, a testatore silentio praeteriretur, illa tamen ipso iure inesset ideoque haberi deberet pro adiecta. Denique ad transmissionem huius actionis uero similiorem reddendam non nihil confert argumentum a petitione quartae D. PII dictum. Hanc enim exigi potuisse ab heredibus arrogati, certum est. h) Et si non maiorem, saltim eundem cum D. PII quarta fauorem mereri uidetur legitima, siquidem illa cum in finem introductory est, ut legitima defraudari nequeat arrogatus.

C

§. XII.

e) V. L. 30. C. de inoff. test.

g) L. 36. C. de inoff. test.

f) V. L. cit.

h) L. 22. ff. de Adopt.

§. XII.

REMOVETVR OBIECTIO PRIMA.

At uero, cum dentur nonnulli, a) qui BARTOLVM b)
secuti contrariam sententiam amplectantur, non abs re erit
illa, quae ad eam fufculciendam facere uidentur, proprius
examinare. Maximum robur possum est in L. 34. C. de in-
off. test. ex qua ita quis forsitan ratiocinaretur. „Nepos eius,
„qui filium suum a parte legitimae exclusit, hoc citra prae-
„paratam supplementi petitionem mortuo, ante L. 34. C. de
„inoff. test. supplementum illud exigere non poterat. Appa-
„ret hoc exinde, quod Imperator talem nepotem *a uetuslate*
„*neglectum* dicat. Iustinianus autem demum in hac lege con-
„stituit, ut, quamvis remedium ad supplementum legitimae ten-
„dens a patre non fuerit praeparatum, nepoti nihilominus replecio
„legitimae supereffet. Quodsi autem singulari beneficio nepoti
„se hoc contulisse gloriatur IVSTINIANVS, quo iure
„idem tribui potest heredibus extraneis, de quibus nihil tale
„constitutum deprehenditur., Lieet autem hoc ratiocinium
primo obtutu cuius arridere possit, genuina tamen legis lau-
datae explicatio illud prorsus destruit. Etenim ex hac lege
minime probari potest, quod aduersarii primo loco ponunt,
nimis nepotem ante cit. L. 34. non habuisse petitionem
supplementi legitimae. Nepos ille *a uetuslate neglectus* non
erat is, cuius patri certa quantitas legitima minor relicta erat,
sed is, cuius pater prorsus exheredatus erat, et querelam inoff.
test. instituere non potuerat, utpote ante aditionem heredis scrip-
ti defunctus. Tu dices, uerba finalia, *ut perfruatur etc.* imme-
diata sequi ea, quae haec lex de repletione quartae partis
continet

a) V. MERLINVS de Legitima L. b) In Comment. ad L. 34. C. de
III. rit. 2. quæst. 7. n. 1. inoff. test.

continet, ideoque tam ad haec, quam ad praecedentia applicanda esse. Verum potiori iure afferitur, hunc uersum pertinere ad superiora, quae de querela inoff. test. loquuntur. Etenim **IUSTINIANI** intentio fuit, in dicta L. nepoti tantum circa querelam subuenire, uti appareat ex iis, quae in principio ad commonstrandam occasionem nouae legislationis afferit, et in quibus loquitur de tali nepote, qui *rescindere* non posset testamentum. Et nouam Imperatoris uoluntatem reipsa quoque unice querelam respicere, exinde manifestum est, quod recenscat casum soli querelae accommodatum, et illi statim subiungat noui iuris constitutionem, dicendo: *in tali specie nepoti eadem iura danda esse, quae filius habebat.* Quam nouam dispositionem cum nec extendat ad supplementum legitimae, quod deinde memorat, nouum ius, quantum ad repletionem legitimae, in fauorem nepotis sanxisse dici nequit. Quin eo ipso, dum Imperator circa ius nepoti in supplementum competens simpliciter se refert ad nouellam constitutionem suam, euidenter demonstrat, sibi non esse animum praesenti lege de repletione legitimae noui quicquam constituiere. Dum autem nepoti concedit, ut testamentum remouere possit, per legem imaginationis dicitur Imperator ad nouellam sui nominis constitutionem, qua occasionem aliquam remouendi testamentum susluterat. Et qui gloriae cupidus constitutiones suas cum elogio memorare solet, non potest non hic quoque nouae constitutionis mentionem facere et eum in finem quaedam de repletione legitimae inscribere. Quae omnia si probe consideres, facile patebit, nouum illud beneficium, quod praesenti lege a se in nepotem collatum iactitat Imperator, necessario respicere querelam

C 2

antea

antea nepoti non competentem, idéoque uerba illa, *ut perfruatur etc.* in quibus a diuerticulo redit legislator, a proxime antecedentibus separari et ad superiora referri debere. c) Nouum explicationis, qua dissentientes cit. L. 34. in suas partes trahunt, praesidium latere automat Excell. v o o R D A D. in uerbis ultimis, *scilicet post aditam haereditatem.* Cum enim uidit, I V S T I N I A N V M in L. 36. C. Eod. A. 531. promulgata constituisse, ut quinquennium, quo praescribitur querelae inoff. testam., ab adita hereditate computetur, Imperatorem in fine L. 34. A. 530. publicatae, uel ineptum fuisse et nihil egisse, uel sub noce: *querela*, actionem ad supplementum intellexisse arbitratur, maxime cum uocabulum illud sit generale et faepius alias actiones, quam praeceps querelam inoff. test. denotet. Sed, quod pace tanti uiri dictum sit, non impedire mihi uidetur uerba laudata, quo minus nox *querela* de illo remedio, quo testamentum in officiosum rescinditur, intelligi queat. Circa terminum, a quo computandum sit, quinquennium querelae inoff. test. diuersas fuisse I Ctorum sententias, illudque secundum V L P I A N V M ab adita hereditate, secundum M O D E S T I N V M autem a morte testatoris cucurrisse, ipsa L. all. 36. §. 2. docet. Quid uerat autem afferere, I V S T I N I A N V M iam A. 530. V L P I A N I opinionem fuisse

am-

c) A I V S T I N I A N O nostro non alienum esse, hoc intricato loquendi genere uti, demonstrat L. ult. C. de ieb. cred. Huius enim legis uerba finalia, *nec cui ex delicto etc.* si coniunguntur cum proxime precedentiibus: *Sed si etc.* plane nullum scismum exhibent, idéoque referenda sunt ad iterum superiorem: *Nobis itaque*

etc. cuius adaequatam rationem continent. Nec ueteribus iureconsultis in usitatum fuisse, rapta occasione orationi sua quedam non exacte ad rhombum pertinentia inserere, exemplis larga manu congestis docet Excell. v o o R D A in Elctis cap. 5. et 6.
d) Lib. cit. cap. II.

plexum, sed anno demum in sequenti sententiam suam latius exposuisse. Forsan ipsa verba ultima L. 34. ansam dedecunt, ut ICti eorum temporum nouo ardore disputarent; quis terminus aequitati magis conueniret; et ita concertationibus suis Imperatorem permouerunt, ut controuerfias illorum ex instituto dirimeret. Itaque nec hoc impedit, quo minus uersum: *ut perfruatur etc.* ad solam querelam in officioi testamenti referamus. Et cum haec omnia luculenter euincant, IVSTINIANVM non demum per L. 34. all. nepoti concessisse, ut supplementum legitimae peteret, facile patet conclusionem, quae huic hypothesi in ratiocinio dissentientium superstructa est, solido fundamento destitui.

§. XIII.

RELIQVAE OBJECTIONES REFUTANTVR.

Ventilato huic aduersantium argumento addi adhuc posset alterum, nimurum in modo explicata L. 34. tanquam singulare beneficium nepoti tribui, ut querela in posterum ad illum transeat, itemque in L. 36. C. Eod. diserte constituit, ut querela non nisi praeparata transmitteretur ad heredes extraneos, et simul in utraque lege commemorari supplementum legitimae. At uero probabile non esse, Imperatorem filiuiss differentiam inter querelam inoff. testam. et petitionem supplementi legitimae, si, quantum ad transmissionem ad heredes, in hac aliud, ac in illa, obseruari uoluisset. Sed respondeo, minime necessarium fuisse, hoc discrimen indicari, de quo non facile quis dubitare poterat. Etenim saepius a) dictum erat, querelam inoff. testam. in posterum non dari, si legitima ex parte relicta esset, nec usquam con-

C 3

stitu-

a) L. 30. 31. 32. C. de inoff. test.

stitutum, ut exactio supplementi naturam querelae inofficiosi testamenti indueret. Accedebat, quod odiosum illud rescissionis testamenti et accusatio de iniuria a) per exhereditationem vel praeteritionem illata, cessarent in petitione supplementi, adeoque rationes deficerent, ob quas ad personas eorum, quibus legitima debebatur, restricta erat querela. Et ex hoc simul refutatur ratio tertia ab aduersantibus adduci solita, scilicet surrogatum sapere naturam eius, cui surrogatur, ideoque actionem ad supplementum tendentem ad instar querelae inoff. testam. non transire ad heredes extraneos. Ut taceamus enim, admodum fragilem et legum auctoritate minime stipitatum esse hanc regulam, illa sane in hoc casu applicari nequit, ubi de aliis tot tantisque differentiis clarissime constat.

§. XIV.

S U P P L E M E N T U M L E G I T I M A E P R A E S T A N D U M E S T
A B H E R E D I B U S A T E S T A T O R E I N S T I T U T I S
E O R V M Q V E H E R E D I B U S .

Ab illis, qui petere possunt supplementum legitimae progredimur ad eos, a quibus illud exigi potest. Hi sunt soli heredes illius, qui ad legitimam relinquendam obligatus fuit, siue testamento scripto, siue nuncupatiuo instituti sunt a.) Quinam vero legitimam relinquere debeant, pluribus expondere hic supersedeo, cum illud ex determinatione personarum, quibus debetur, §. X. allata, satis manifestum sit. Inter heredes vero nullum differimen est statuendum, ita ut et omnes et aequis partibus teneantur, duabus tamen obseruatris exceptionibus. Prima locum habet, si fratri turpis persona est praelata. Quae cum sola iniuriam inferat fratri in legitima

a) Cf. L. 8. ff. de inoff. test.

a) L. 30. 31. C. de inoff. test. N. 115. c. 5.

legitima laeso, non nisi ab hac repletio supplementi exigenda erit. Secunda est, si testatorem aliud uoluisse appareat. Pone enim v. gr., hunc filio certam rem legitimae nomine deditis, et nepotem ex hoc filio nominasse heredem illorum, quae ultra datam filio legitimam secundum successionem ab intestato ipse competiissent. Tunc sane testatoris ea mens fuit, ut nepos portionem filii non nisi deducta legitima haberet. Hinc, si citra opinionem testatoris contingat, ut res filio data legitimam non exaequet, uoluisse uidetur, ut ex iis, quae nepoti reliquit, legitima repleatur. Et cum testatorum uoluntatem in primis sequi teneamur, hoc casu solus nepos, non autem coheredes, ad supplendam legitimam adstrictus esse uidetur. b) Obligationem autem replendi id, quod minus legitima relictum est, non in testatoris heredum personis subsistere, sed ad eorum quoque heredes transire, non est, quod ulli dubitemus, siquidem testatoris heredes cum omnibus, quibus ex eius bonis aliquid debetur, quasi contrahunt per ipsam hereditatis acquisitionem.

§. XV.

NON AVTEM A LEGATARIIS ET TERTIIS RE- RVM HEREDITARIARVM POSSESSORIEBUS.

Praeter heredes a testatore institutos eorumque heredes, legatarios quoque et tertios rerum hereditiarum possessores ad praestandum legitimae supplementum plerumque astringunt DD. a) Aet iuris nostri autoritate destituuntur. Generatim enim sciendum est, leges non nisi heredibus legitimae repletionem iniungere, nec ullibi legatariorum vel tertii rerum hereditiarum possessoris mentionem facere.

Quod

b) Cf. SWEDERI cit. Diff. §. 35.

a) SWEDERI cit. Diff. §. 36.

Quod autem speciatim legatarios attinet, nec analogia iuris demonstrat, actionem ad supplementum legitimae aduersus illos intendi posse. Licet enim legitimam quasi aes alienum consideres, certissimum tamen est, solos heredes, non autem legatarios, ad folendum illud teneri. Et sicut illi his pro rata detrahunt, si massa reliqua hereditatis non sufficit luendo aeri alieno, ita quoque illi, quibus legitimae supplementum debetur, adstringere possunt heredes, ut legatarios pro rata detrahendo legitimam suppleant. b) Quod si facere omiserint, suam sibi imputent negligentiam c) Quum itaque actio ad supplementum legitimae ne quidem contra legatarios competit, multo minus contra tertium rerum hereditiarum possessorem dabitur, contra quem ne quidem species tituli allegari potest. Primo enim nullum ius in rebus hereditariis datum est iis, quibus minus portione legitima relictum. Evidem ex l. 36. C. de inoff. test. ubi, quamvis de supplenda legitima testator nihil adiecerit, repletio nihilominus ipso iure inesse dicitur, nonnulli inferunt, hanc repletionem ad instar Falcidiae res hereditarias ita afficere, ut vindicationi sit locus, alii uero ex eadem ius tacite hypothecae elicunt. Verum ipsa legis inspectio unumquemque docet, uerba, quibus innituntur aduersarii, nihil aliud innuere, quam quod, licet testator de supplenda legitima nihil addiderit, illud tamen pro adiecto habendum sit. Deinde nec leges ullae actionem ad supplem. legit. tendentem annumerant iis, quae in rem scriptae sunt. Rem autem minime conficit unica ferre, quam dissentientes in medium proferunt ratio, quod res here-

b) Ea, quae hic obinoueri possent, TIVS ad ff. Tit. de inoff. test. dubia eleganter remouet V.O.E. §. 70.

c) L. 203. de R. I.

hereditariae saepius apud alios quam heredes haerent ideoque necesse fit contra illos tertios possessores actionem ad supplementum legitimae indulgere. Nam et hic contra heredes agi potest, ut uel ipsi conueniant possessores illos, uel actiones suas cedant.

§. XVI.

QVATENVS IVSTINIANVS DEMVM QVERELAM
CONTRA TESTAMENTVM EX PARTE INOFFICIO-
SVM SVSTVLISSE DICI POSSIT, IN-
QVIRITVR.

Iam peruenimus ad definiendum genus actionis, qua id, quod minus legitima relictum, peti debet. De quo ut eo magis constet, pauca ex historia praemittere licet. Quum per colorem furoris, sub quo Iureconsulti introducebant querelam inofficioi testamenti, defunctus plane inhabilis ad testandum suisse fingebatur, primis temporibus necesse erat, ut illi, quorum ratione testator pietatis officium laesisse argui posset, uel totum testamentum euerterent, uel exclusionem ab hereditate aequo animo ferrent. Postquam autem usu fori satis confirmatum, ut testamentum, rite quidem sed inofficiose conditum, non satis tutos redderet heredes institutos, et certa portio ad excludendam querelam inoff. test. ex rationibus L. Falcidiae determinata erat, sensim inualuit, ut etiam citra totam ultimae uoluntatis euerctionem satisficeret illis, quos a parte legitimae excluserat testator. Sane PAV-
LVS a) de suo tempore testatur: *Filius, qui in testamento pa-
tris minus quarta portione consecutus est, iure desiderat, ut citra
inofficioi querelam quarta impleatur.* Querelam tamen in eo

D

casu

a) Rec. Sent. L. IV. tit. 5 §. 7.

casu nondum penitus fuisse prohibitam, sed institui potuisse, quamvis pars legitimae tantum admota esset, a uero haud abludit. b) Et elegans SCHVLTINGII c) est coniectura statuentis, integrum fuisse illi, qui totam legitimam consecutus non erat, utrum habilitatem, de bonis suis disponendi, testatori concederet, et id, quod minus legitima relictum, petere, an uero testamentum ipsum impugnare, simulque periculum subire uelit, ut succumbens in querela, etiam id, quod testamentum ipsi largiebatur, amitteret. Ad quam sententiam stabilendam faciunt locutiones in LL. hic spectantibus occurrentes, siquidem PAVLVS d) ait, filium iure desiderare, ut legitima suppleatur, et Imp. ALEXANDER E) inquit, illum, ad quem tota legitima non peritenerat, non prohiberi inofficioi testamenti accusationem instituere. Evidem CVIAS f), VINNIUS, et IANVS A COSTA g) in eo tantum casu petitionem supplementi obtinuisse uolunt, quando in testamento scripti heredes essent sanguinis vinculo iuncti cum eo, qui a parte legitimae excludebatur, institutis uero extraneis querelam esse adhibitam afferunt. Sed merito illam distinctionem reicit SCHVLTINGIUS h) allatis exemplis i) demonstrans, querelam etiam concessam esse, quamvis non extranei fuerint heredes instituti. Nec L. 3. C. de inoff. test. cui innituntur dissentientes, sententiam illorum probat. Ibi quidem testamentum est inofficium, et utique distinguitur, utrum

b) Vid. L. 8. §. 8. o. ff. de inoff. test. L. 30. 31. C. Eod. L. 2. C.

Gregor. Eod. L. 1. C. de inoff. donat.

c) In Iurisprud. Ante- Justinianea in notis ad cit. PAVLI locum.

d) Cit. loc.

e) In L. 2. C. Greg. de inoff. test. f) Ad cit. PAVLI loc.

g) In Commentar. ad §. 3. I. de inoff. test.

h) Cit. loc.

i) V. L. 2. Greg. de inoff. test. et L. 1. C. de inoff. donat.

utrum heredes scripti fuerint extranei nec ne. Verum eam legem ad petitionem supplementi nullo modo trahi posse, uel ex eo patet, quod in casu eius legis filius in testamento matris nihil acceperat et praeteritus erat. Ut taceam in ipsa lege dici, querelam inoff. test. in specie enarratam institui potuisse, et singulari dispositione ex praesumta matris in puerperio mortuae uoluntate uirilem portionem assignari. Argumentum quidem ad stabilendam suam sententiam IANVS A COSTA ducere cupit ab inofficiois donationibus, quas in extraneos collatas in totum, reliquis autem casibus ex parte inofficioſa tantum, rescindi afferit. Verum donationem immodicam in extraneum collatam in totum reuocari posse, non probatur per allegatam ab ipso L. 4. C. de contrah. eme. siquidem aliunde conitat, k) perinde esse, utrum donatarii sint donantis liberi uel extranei, et L. all. 4 commode explicari potest de rescissione donationis quoad partem illam, qua inofficioſa est. Quamuis autem ex his omnibus appareat, in eo casu, quando legitima ex parte relicta erat, mox querela totum testamentum rescissum, mox autem supplementum tantum exactum esse, Constantii Imperatoris tamē temporibus res iam ita ordinata erat, ut, quando testator id quod minus forte legitima relictum esset, repleri iussisset, supplementum legitimae faluo testamento peteretur ab heredibus l). Sin autem supplementi mentio facta non esset a testatore, querela inoff. test. utique impugnari potuit testamentum, quod uel Iustiniani temporibus adhuc obtinebat. m)

D 2

Hic

- k) L. 1. C. de inoff. donatt. w.e. l) V. L. 4. C. Theod. de inoff.
STENBERG de Port. legit. test.
Diff. IV. c. 3. §. 5. PEREZ ad m) V. L. 30. C. de inoff. test.
C. Tit. de inoff. donatt. nr. 4.
ibique cit. DD.

Hic enim et hanc demum occasionem evertendi ultimam voluntatem e medio sustulit, speciali lege n) constitutiens, ut, siue adiiciatur aliquid in testamento de adimplenda legitima portione, siue non, firmum nihilo minus sit testamentum, et legitimae supplementum tantum exigere liceat. Cum itaque IVSTINIANVS numerum casuum, in quibus, testamento subsistente, solum supplementum legitimae peti potest, insigniter auxerit, eatenus de eo non incongrue dici potest, se querelam contra testamentum ex parte inofficium sustulisse, ipsam tamen huius iuris originem in temporibus IVSTINIANVM longe antecedentibus esse quaerendam.

§. XVII.

A D S U P P L E M E N T U M L E G I T I M A E C O N D I C T I O N E
E X L. A G E N D U M E S T.

Ex iis, quae modo dicta sunt, satis manifestum est, ante Constitutionem IVSTINIANI nullam legem imposuisse heredibus obligationem, ut in eo casu, si testator minus legitima relinquaret alicui, nec reliqui repletionem iuberet, supplementum illud praestarent, quippe melius per querelam prospectum erat illis, quibus legitima debetur. In L. 30. C. inoff. test. IVSTINIANVS quidem hanc obligationem constituit sed haud determinauit, quo genere actionis utendum sit. Vnde, cum PAULVS conditionem ex lege definiens a) dicit: *Si obligatio lege noua introducta sit, nec cautum eadem lege, quo genere actionis experiamur, ex lege agendum est, nullum restat dubium, quin actio, quia supplementum legitimae petitur, nominanda sit condicione ex lege.* Nonnulli quidem hereditatis petitionem, alii actionem fam. ercisc., rursus alii actionem perso-

n) L. cit.

a) L. un. ff. de condic. ex L.

personalem ex testamento hic locum habere uolunt. Sed cum sententia nostra luculenter demonstrata sit, et dissentientium argumenta late refutauerit s w e d e r v s , b) iis ulterius persequendis non immorarum. Quantum ad actionem personalem ex testamento, moneo tantum, me loqui de illo casu, quando testator repletionem eius, quod minus legitima forte relictum esset, non iniunxit heredibus. Hoc enim si factum, curatius utique loquetur, qui actionem ad supplementum legitimae tendentem uocauerit personalem ex testamento. Cum autem condicō sit actio civilis c), eaque personalis, d) idem de remedio, quo supplementum legitimae persequimur, dicendum, ideoque in eo locum habent, quae leges de nominato duplice actionum genere tradunt. Addit quidem s w e d e r v s , e) actionem nostram esse in rem scriptam, sed, hoc additamentum tanquam ambitiosum ornamentum recidendum esse, ex iis, quae allata sunt, manifestum est.

§. XVIII.

DE MODIS, QVIBVS TOLLITVR CONDICTIO NOSTRA ET QVIDEM PRIMVM DE RENUNTIATIONE.

Expositis hactenus iis, quae ad formandam conditionis nostrae ideam pertinent, iam subiungamus, quibus modis fiat, ut illa exceptione repelli possit. Inter hos primo loco nomino renuntiationem. Sed non omnia hic persequi licet, quae amplissima renuntiationis materia suppeditat. Nobis sufficiat examinare, quid circa supplementum legitimae speciatim et diserte constituerit I V S T I N I A N V S . Hic autem discrimen esse uoluit, utrum pactum renuntiationis ce-

D 3 lebra-

- b) Diff. cit. §. 2. 3.
- c) L. 7. ff. de I. et I.
- d) §. 15. Inst. de act.
- e) Diff. cit. §. 4.

lebratum esset cum iis, qui legitimam relinquere tenentur, an cum heredibus illorum. a) In primā specie renuntiationem prorsus inualidam declarauit. Verum ius Romanum hac in re iam eatenus correxit Pontifex, ut tales renuntiationem, si iuramento fuerit confirmata, omnino valere iussit. b) Et quoniam Germani adeo fauent pactis, ut et successoria bonis moribus non contraria esse iudicent, c) et ius domesticum sine dubio peregrinis praeferri meretur, hodie ne firmamento quidem iurisiurandi opus erit. d) Paētum autem renuntiationis cum heredibus initum non quidem nullum esse voluit IV STINIANVS, sed definiuit tantum, quinam actus pro renuntiatione habendus non sit. Nimurum eo tempore, quo Imperator haec fanciebat, ius antiquum adhuc obtinebat, ut cuius querelam inofficiosi testamenti remissione censembaratur, qui legatum uel fideicommissum in testamento relictum acceperat. e) Dubitari itaque poterat, an non filius, qui id, quod in testamento patris illi relictum, acceptauerat, cum reliquis testamenti capitulis institutionem quoque alius heredis approbauerit, et ita, si minus forte legitima relictum, supplemento renuntiasset. Et si principia iuris antiqui species, quaestio utique affirmanda erat. Verum has subtilitates fictioni furoris, sub quo introducta erat testamenti rite conditi impugnatio, originem debentes merito reiecit IV STINIANVS, statuitque, ut quamvis filius per accessionem legati uel alium actum declarauerit, se habilitatem patris de bonis suis disponendi in dubium.

a) V. L. 35. C. de inoff. test.

b) Cap. 2. de pact. in 6to.

c) SCHILTERVS Exercit. X. §.

40. LEYSER Spec. XXIII.

M. 5.

d) HEINECCIVS in Iure Germ.

L. II. T. 6. §. 173.

e) Cf. LEYSER Spec. XCIII. M. 8.

biūm non uocare, nihilominus ipsi liceat ultimam patris voluntatem catenus impugnare, ut praeflationem eius, quod minus legitima relictum, ab herede contendat. Quae omnia si rite perpendas, simulque ipsam L. 35. C. de inoff. test. probe consideres, liquido apparet, in hac lege saltim non fundatam esse distinctionem inter renuntiationem legitimae generalem et specialem, quam ex illa elicere solent DD. f.) Nec iure ex hac legē colligitur, illum, cui legitima debetur, supplementum eius adhuc petere posse, quamuis approbauerit testamentum, in quo a parte legitimae diserte exclusus est. Obstant enim huic sententiae ipsa IUSTINIANI uerba, qui uoluit, ut filius pacto suo utique gravetur, si transfectionem ad heredes paternos celebraverit, in quibus apertissime iudicium, i. e. testamentum g) patris agnouerit. Ex qua dispositione prono fluit alueo, illum, cui per testamentum pars legitimae ademta est, eo se tueri non posse, quod hanc ultimae uoluntatis particulam pro non scripta habuerit. Nec illi proderit legitimae fauor, qui quantuscunq; etiam sit, adeo tamen non exorbitat, ut illi plane renunciari nequeat. Aliud autem dicendum uidetur circa onus rebus legitimae nomine relictis impositum. Cum enim IUSTINIANVS diserte constituath) tale grauamen pro non scripto habendum, iure suo is, qui testamentum approbat, tanquam partem eius non considerat

dispo-

f) BRUNNEMANNVS in Comment. ad L. 35. C. de inoff. test. nr. 15. FACHINAEVs in Controversiis iuris L. III. cap. 25.

g) Vocem iudicium hic denotare testamentum uel inde manifestum est, quod Imperator mox iudicium paternum, mox testa- mentum paternum dicat. Et

eodem significatu apud veteres iurisconsultos frequenter occurrit vox iudicium. Cf. PAVLI Rec. Sent. L. IV. T. 5. §. 7. L. 1. C. Theod. de inoff. test. et BRISONIVS de Verb. Sign. h. v.

h) L. 32. C. de inoff. test.

dispositionem legitimae onus imponentem. i) Quod si autem filius diserte declarauerit se, quod ad onus impositum, morem gesturum voluntati paternae, filius magis ex promisso suo quam ex testamento patris tenebitur. k) Et ea quidem, quae ex iure Romano de eo, qui legatum uel fideicommissum in testamento relictum acceptat, tradidi, in liberis quidem, non autem in parentibus et fratribus admittit WESTENBERG. l) Ast illum halucinari clarissime liquet ex clausula finali huius legis. Quamvis itaque concedamus, legem i. §. 3. ff. Si quis a par. man., ex qua in parentibus, quantum ad renuntiationem, aliud obtinere afferit ac in liberis, loqui de casu, quando minus legitima relictum est, illi tamen manifesto tam derogatur per laudatam IVSTINIANI constitutionem.

§. XIX.

DE P R A E S C R I P T I O N E C O N D I C T I O N I S
N O S T R A E.

Alter modus, quo remouetur condicō nostra, est praescriptio, quam ab adita hereditate currere et triginta demum annis absoluī uerius est. De priori nullum est dubium, quum ante acceptationem delatae hereditatis contra certainam personam tanquam heredem agi nequit. Quod posterius attinet, ex §. XV. constat, actionem nostram esse personalem. In ipsis autem remedii regulam constituit IVSTINIANVS,^{a)} ut triginta annorum spatio extinguantur. Hos itaque limites

i) M E V I U S . P. IV. Decis. 15. 1) De Port. legit. Diff. IV. c. 5.
STRYKII Diff. de casibus circa § 5.
legitimam controverſis. cas. 7. a) L. 3. C. de praefter. 30. uel 40.
k) M E V I U S c. 1. anna.

tes coactare uon licet in ulla actione, quae per LL. disertim excepta non est. Nuspiam autem deprehenditur exemplio actionis nostrae a regula, et potius menti LL. aduersa: ruidetur, ut illa breuiori, ac triginta annorum, spatio consumatur. Id enim agebat IVSTINIANVS per L. 30. C. de inoff. test., ut in eo casu, quando de supplenda legitima nihil adiectum erat in ultima uoluntate, non solum testatoribus sed etiam illis, qui a parte legitimae exclusi sunt, consuleretur. Hinc non solum uoluit, ut testamentum aequre firmum esset, ac si testator legitimam replere iussisset, sed etiam, ut exclusi a parte legitimae iisdem iuribus gauderent, quae illis competuerent, si testator ipse repletionem legitimae inculcasset. In quo posteriore casu, cum patuerit actio ex testamento annos triginta durans, nostrae actioni aequre longus terminus concedendus erit. Et hanc sententiam communiter tenent DD. b) Sed eadem fere argumenta, quibus transmillionem actionis nostrae ad heredes impugnari uidimus §. XII. et XIII. hic quoque obmouent HVBERVS, c) CVIACIVS, d) et IANVS A COSTA, e) quos fecutus est Excell. PESTE-LIVS. f) Verum uberior L. 34. C. de inoff. test. explicatio, quam §. XII. attuli, sufficienter euincit, uerba ultima laudatae legis non pertinere ad actionem supplementum legitimae intendentis, quam sub generali nomine querelae comprehendi uolunt, sed ad querelam inoff. test. Et cum §. XIII. infirmitatem argumenti a surrogatione actionis no-

stra e

- b) MULLER ad STRVIVM e) In Comment. ad §. 3. Inst. Tit. Exercit. X. §. 31. l.itt. v. de inoff. test.
- c) In Praelect. ad ff. Tit. de inoff. f) In Programm. de differentia test. §. 20. querelae inoff. test. et conditionis ex L. 34. C. de inoff. test.
- d) In Consultat. LX.

E

striae in locum querelae inoff. test. iam indicaui, illa hic repetere supersedeo. Per eadem simul eneruatur ratiocinium a querela in officio donationis ductum, si quidem haec querelae inoff. test., non autem actioni ad supplementum legitimae tendenti, aequiparatur, ac inter querelam inoff. donat. et condictionem nostram maximum intercedere discrimen uel ex eo patet, quod illa rescissionem actus per se validi, haec autem contrarium rescissionis, nimirum conseruationem testamenti, intendat.

SECTIO SECUNDA

DE PARENTIBVS ET FRATRIBVS EX L. XXX. C.
DE INOFF. TEST. AGERE VALENTIBVS
SPECIATIM.

§. I.

PARENTIBVS DEBETVR LEGITIMA.

Ex praecedenti Sectione constat, remedium nostrum dari parentibus et fratribus, si legitima primo iis debetur, et secundo, illa iusto quidem modo, sed non in totum relicta est. Et ea, quae ad posterius spectant, satis quidem pro scriptiunculae huius limitibus §. III - IX. exposita uidentur. Prius autem quod attinet, pro certo posui in §. X. parentibus et fratribus competere legitimam. Hoc itaque in praefentiarum brevibus evincam, et praesertim investigbo, utrum omnes omnis generis parentes et fratres, an certa illorum species legitimam, indeque, si pars eius data est, supplementum petere queat. In cuius questionis uentilatione, naturalem rationem secuturus, primo loco de parentibus exponam, et ab his ad fratres me confesse-

conferam. Vix autem est, quod moneam, de parentum iure in legitimam sermonem esse non posse, nisi in eo casu, quando descendentes, qui illam petere possint et uelint, non extant, a) Sin hi deficiant, et, turbato mortalitatis ordine, parentes post fata liberorum sint superstites, illis omnino legitimam deberi, nemo ibit inficias. b)

§. II.

AN IN LEGITIMA A LIBERIS CONCLVDENDVM
AD PARENTES?

Quoniam parentibus *non minus* quam liberis hereditas relinquenda esse dicitur, a) et ius nostrum de legitima parentum et liberorum, tanquam de correlato, loquitur, b) parentes eodem iure ex bonis liberorum sibi vindicant legitimam, qui hi eam ex illorum hereditate postulant. Vnde fluit, ut descendentes, qui petere potuissent legitimam *ex bonis* alicuius ascendentis, si illi fuissent superstites, huic uicissim illam relinquere tencantur. Sicut autem singularis ratio quandoque efficit, ut descendentes, quibus in dato casu non competeret legitima, hanc nihilominus exigere possint, c) ita necesse est, ut ascendentes, si ista ratio cesset in illis, eodem iure in bona horum descendantium non gaudeant. Hoc itaque obsernato ab obligatione ascendentium, legitimam descendantibus

E 2

tibus

- a) L. 8. 14. 15. ff. de inoff. test. cf. quoque Nou. 118. c. I.
- b) §. 1. Inst. de inoff. test. L. 1. 14. 15. ff. Eod. Nou. 1. praef. §. 2.
- a) L. 15. ff. de inoff. test.
- b) §. 1. Inst. de inoff. test. L. 1. ff. Eod.

- c) Exemplum est in liberis ex putatio matrimonio procreatis. Hi enim, utpote incestui originem debentes, ad legitimam non admittentur, nisi saltem unius parentis iusto errore ducitus netitas nuptias contraxisset.

36 D I S S E R T A T I O / I V R I D I C A

tibus relinquendi, ad obligationem horum, illis idem officium exhibendi, recte concluditur.

§. III.

P R I M A E T S E C V N D A P A R E N T V M D I S T I N C T I O
E X P O N I T V R.

Tripli autem potissimum respectu nobis considerandi uenient parentes, nimirum ratione sexus, gradus, et denique modi, quo certae personae in numerum parentum referuntur. Intuitu sexus regulariter nulla obtinet differentia, siquidem leges generali parentum nomine utuntur, quod mares et feminas comprehendit. a) Et de iure seminarum pertendi legitimam eo minus dubitandum est, quod illis querela inoff. test. diserte conceditur. b) Quod gradum spectat, appellatione parentum omnes in infinitum ascendentces continentur c) ideoque non solum patri et matri, sed etiam auo, et proauo, et deinceps omnibus superioribus legitima debetur. d) Hoc tamen non ita dictum uelim, ut omnes, qui supersunt, ascendentces simul legitimam exigere posse, assertam. Nam propriem excludere remotiorem, nullum est dubium. Quod autem aseidentes utriusque stemmatis non succedunt in capita, sed paterni dimidiad, dimidiad materni capiunt e), facile colligitur plura unius lineaee membra unam personam sustinere, ideoque auum maternum, cuius uxor mortua est, tantum legitimae nomine consequi solum, quantum auus et auia paternae lineaee coniunctim accipiunt.

§. IV.

- a) L. 4. de in ius uoc. L. 51. de c) L. 4. de in ius uoc. L. 51. de V. S.
Verb. Sign.
- b) L. 17. C. de inoff. test. cf. etiam d) Nou. i. praef. § 2.
L. 8. §. 5. ff. Eod. e) Nou. 118. c. 2.

§. IV.

TERTIA PARENTVM DISTINCTIO

TRADITVR.

Si respicias modum, quo certae personae in numerum parentum referuntur, duplex illorum sese nobis offert, genus, commodius pro duplice descendantium, de quorum hereditate quaeritur, genere definiendum. Scilicet quaedam personae per naturam in serie descendantium eius, qui sibi ius in legitimam afferit, sunt constituti, quaedam vero per institutum ciuale in numerum liberorum referuntur, quum naturales non sint, uel civiliter esse desierint. Prioris liberi naturales in sensu lato, posteriores ciuiles auditunt. Naturales rursum in tres classes distinguendi uenient. Qui enim procreantur a matre, quae saltim grauiditatis a) tempore illi, a quo liberi concepti sunt, iusto matrimonio iuncta fuit, nomine legitimorum gaudent. Illi vero, in quibus hoc deficit, si illis iura et obligationes legitimorum post nativitatem tribuantur, legitimati uocantur, sin minus, illegitimorum nomen retinent. Illegitimorum nonnulli ex concubitu, simpliciter tantum illegitimo, procreantur, et mox naturales in sensu stricto, mox spurii appellantur, prout uel ex concubina, uel ex stupro suscepiti sunt. Alii vero ex coitu damnato nascuntur, eoque uel adulterio uel incestu, hinc adulterinorum et incestuosorum nomina fortientes. Iam de singulis videbimus et ius ascendentium, legitimam eiusue supplementum sibi

E 3

uindi-

a) L. II. de nat. lib. L. 3. §. pen.
ff. de suis et legit. hered. BER-
GERI Qecon. iur. L. I. T. 2.
§. 2.

uindicandi ex bonis descendantium, secundum singulas horum species perpendemus.

§. V.

DE PARENTIBVS LIBERORVM LEGITIMORVM.

Liberorum legitimorum ascendentibus legitimam debet, adeoque ab illis, si tota relicta non sit, supplementum iure exigi, extra omnem dubitationis aleam positum est, si quidem de his maximo iure intelligitur, quod leges parentibus statuant. Cardo autem rei in eo iersatur, num ille, ex cuius bonis sibi quis legitimam affterit, per iustum matrimonium ab eo descendat. Quia in re probe notandum est, in serie matrimoniorum, per quae quis descendit, nec unicum illegitimum tolerari, et per sobolem ex iniusto concubitu procreatam filium legitimorum descendentium prorsus abruppi. Leges enim volunt, ut inter descendentes et ascendentes legitima custodiatur consequentia. a) Et sicut interuenient filii naturalis efficit, ut avus neceesse non habeat nepoti aliquid relinquere, b) ita quoque per §. II. illi ex huic bonis nihil debetur. Quod autem ipsum coniugium legitimum attinet, tale non est matrimonium conscientiae, et quod ad morganaticam uel ad thalac contrahitur. c) Itidem in Germania matrimonium Christianorum copula sacerdotali constitutum est illegitimum, d) nisi aliud uoluerit is, penes quem

a) L. 12. C. de nat. lib.

b) L. cit.

c) ENG AVII. Ius Canon. L. II. §.
168. 169. BOEHMER Ius Eccl. L. IV. T. 3. §. 56 et 60.

d) BOEHMER c. l. L. IV. T. 3.

§. 45. GRIMMEISEN Diss. de liberis ob deficientem in parentibus benedictionem sacerdotalem non legitimis. Sect. I. §. 5. et Sect. II. §. 3.

quem est legum condendarum potestas. Et si quas forte follennitates nuptiis contrahendis absolute praescripsissent leges particulares et Statuta loci, illarum neglectus faceret, ut matrimonium iustis nuptiis accenserit non posset. Vnde liberorum ex nominatis matrimonii susceptorum ascendentibus, qua legitimis, nihil debetur, adeoque hi eo, quod ipsis forsitan relictum est, contenti esse debent. Matrimonium uero putatuum, quamvis legitimum dici nequeat, qua coniugem tamen in bona fide constitutum eosdem effectus habet, quos iura communia largiuntur iustis nuptiis. e) Hinc consequitur, utriusque parenti, si fuerit in bona fide, legitimam eiusque, si minus illa relictum est, supplementum competere. Sin autem in alterutro bona fides desit, huic merito denegatur f) portio parenti legitimo debita. Contraria quidem sententiae amplectuntur, et etiam coniugi bona fide destituto legitimam tribuunt nonnulli DD. g) Verum refelli iam uidentur generali regula, h) quod nemini dolus suus prodefesse debeat. Et maxime obstat illis, quod in tali parente cessa bona fides, qua se distinguere deberet a patre liberorum illegitimorum; ideoque beneficia, quae huic denegantur, uti infra ostendetur, illi tribuenda non sint.

§. VI.

SPECIES LEGITIMATIONIS DESCRIBUNTUR.

Progedinur ad ascendentes illorum, qui legitimati sunt. Per legitimationem uero liberis illegitimis tribuuntur

iura

- e) HERTIVS in Diff. de matr. monio putatino, §. 21. g) GUTIEREZ Quaest. pract. L. III. Q. 74. CAEVALLOS in
- f) MERLINVS de Legitima L. I. Spec. aur. comm. opin. Q. 697. T. 2. Q. 12. nr. 115. HERTIVS nr. 16.
- cit. Diff. §. 36. h) L. 12. de dol. mal. L. 134. de R. I.

40 D I S S E R T A T I O I V R I D I C A

iura et obligationes liberorum legitimorum. Hae qualitates morales duplicis sunt generis. Quaedam enim liberis legitimis competent intuitu reliquorum ciuitatis, in qua degunt, membrorum. a) Praeter has autem nonnullae cadunt in liberos legitimos, quatenus considerantur ratione nunculi familiae, per quod cum aliquo iuncti sunt. Quodsi iura et obligationes prioris generis tantum tribuantur, legitimacionem uocemus imperfectam. Sin qualitates morales posterioris generis in illos conferuntur, perfectam appellemus. Et ut accurate procedamus, circa perfectam probe confundandum est, utrum ratione patris b) tantum an etiam caeterorum familiae membrorum, illegitimis tribuantur morales legitimorum qualitates. In hoc casu legitimacionem appellare liceat simpliciter perfectam, in illo secundum quid talem. Pro diuersis legitimacionis speciebus diuersa quoque sunt iura ascendentium, legitimam eiusue supplementum petendi.

§. VII.

A P P L I C A T I O A D L E G I T I M A M P A R E N T V M.

Legimationis simpliciter perfectae species est illa, quae sit per subsequens matrimonium, utpote quod ea uipollit, ut liberi ex iisdem parentibus antea procreati postea genitis per omnia exaequentur, et ita iusti ac legitimi habeantur. a) Proinde dubitandum non est, ratione illorum idem ius competere ascendentibus, quod iis circa legitimam ex bonis liberorum legitimorum petendam in §. V. adscripti.

Iste

a) Huc pertinet, si in certo loco liberis legitimis solis adspicere licet ad collegia artificum, uel certum aliquid munus.

b) Hoc contingebat in legitimatione per oblationem curiae, uti docet L. 9. C. de natura lib. a) L. 5. L. 10. C. de natur. lib.

Iste effectus autem cuius legitimati, quae fit intercedente principis rescripto, tribui nequit. Ea quidem, quae iam apud Romanos in usu erat, et praecedentibus patris precibus fiebat, perfecta est, et quidem simpliciter talis, siquidem eiusmodi legitimati nihil a legitimis filiis differre dicuntur. b) In Germania vero usu inualuit, ut liberi illegitimi ignorante faepius, quin mortuo patre, legitimatem a principe impetrarent. c) Inspiciendum itaque est ipsum principis rescriptum in determinando iure successionis et legitimae. Quodsi legitimatio forsitan secundum quid perfecta intercesserit, solus pater legitimam eiusque supplementum petere potest. Sin illa fuerit simpliciter perfecta, omnes ascendentes eo iure gaudebunt. Imperfecta cum tantum intuitu reliquorum principis subditorum illegitimos exaequet legitimis, maculam natalium quidem diluit, sed reciprocam successionem inter illegitimos et illos, qui cum ipsis sanguine iuncti sunt, non constituit. Cum autem legitimam nemo petere possit, nisi qui ius succedendi ab intestato habeat, facile patet ex bonis illorum, qui imperfecte legitimati sunt, nec legitimae nec supplementi eius nomine quicquam deberi.

§. VIII.

DE LIBERORVM SIMPLICITER ILLEGITIMORVM PATRE-EIVSQUE ASCENDENTIBVS.

Circa hereditatem descendantium illegitimorum, ex damnato coitu non procreatorum, diuersa sunt patris, et ma-

F

tris

b) N. 89. c. 9. §. t.

18. MEVIVS Part. IX. Decif.

c) STRYK in V. M. ff. Tit. de his, qui sui vel alieni juris §.

125. 126.

tris, et alterutrius ascendentium iura. Liberis illegitimis contra patris testamentum non dari querelam, certissimum est. Illis enim, qui inter illegitimos maiori fauore gaudent, nimur suscepimus e concubina, id singulare beneficium dedit IVSTINIANVS, a) ut in eo casu, si pater intestato mortuus fuerit, nec legitimam sobolem relinquit, ex bonis eius sextantem cum matre partendam accipiunt. Et quamvis in illorum fauorem testandi licentiam concedat patri, obligationem tamen nullam imponit. Vnde, cum IVSTINIANVS diserte sanxerit, b) ut mutuum succedendi ius obtineat inter parentes et liberos naturales, prono fluit aliueo, patri naturali merito denegari legitimam. Forsan autem quis putet, avum, qui patrem talis partus naturalis ex iustis nuptiis suscepit, iure sibi vindicare legitimam, quod ille poenam delicti a filio commissi ferre nequeat. Sed supra §. V. iam obseruauit nepoti ne quidem aperiri successionem ab intestato, nisi per legitima matrimonia descendat ab eo, de cuius hereditate quaeritur. Quanto magis itaque illi, qui partui naturali ultra patrem in linea recta iuncti sunt, a legitima excludentur?

§. VIII.

DE FORVNDEM MATER ET EIVS
ASCENDENTIBVS.

Si de matre quaeris, naturalibus liberis idem ius competit in bona materna ac legitimis. a) Et ipsis spuriis testamentum matris, quo legitima illorum laeditur, inofficiosum dicere

a) Nou. 89. c. 12 §. 4.
b) Non. cit. c. 13.

a) L. 5. C. ad SCtum Orphit.

dicere utique licet. b) Quod si uero mater illustris sit, et illa liberos ex iustis nuptiis procreauerit, ad spurios nihil penitus ex successione materna peruenire uoluit IVSTINIANVS. c) Quoniam autem tunc demum exclusit spuriros, si mater habeat liberos legitimos, illi, si soli sunt, iure suo querelam contra testamento matris inofficium mouere posse uidentur. Et haec, quae de successione spuriorum in bona matris dixi, circa hereditatem ascendentium matris quoque locum habere, appareat ex responso MODESTINI, d) secundum quod ad successionem ascendentium maternorum descendentes nulgo quaesiti aequo uocantur ac legitimi. Cum uero liberi legitimam relinquere tenentur ascendentibus illis, ex quorum bonis ipsis illam vindicaturi essent, si mortalitatis ordo non fuisset turbatus, per §. II. ex praecedentibus inferre licet, matri eiusque ascendentibus ex bonis liberorum, tam spuriorum quam naturalium, legitimam competere, ideoque, si minus illa relictum sit, supplementum adhuc deberi. Exceptionem tamen faciendam esse in matre illustri eiusque ascendentibus, ratione spuriorum, qui matri suae non fuerunt soli, per se patet.

§. X.

PARENTIBVS INCESTVOSORVM ET ADVLTERINO-
RVM NON DEBETVR LEGITIMA.

Parentes uero incestis uetitisque nuptiis sese commaculantes, quum non habere liberos credantur, a) et procreati ex damnatis eiusmodi amplexibus adeo excludantur a successione ab intestato, ut ne quidem alimentorum nomine

F 2

illis

b) L. 29. §. 1. de inoff. test.
c) L. 5. C. ad SCtum Orphit.

d) L. 8. ff. unde cognati.
a) L. 6. C. de inc. nupt.

illis quicquam deberi uoluerit **IUSTINIANVS**, b) quanto minori iure ex horum liberorum facultatibus sibi quicquam afferent ascendentes?

§. XI.

DE PARENTIBVS ARROGATORVM.

Deuenimus ad parentes civiles seu illos, qui per leges numero parentum inferuntur. Etenim illae conesserunt, ut quis in locum filii uel nepotis adsciscat aliquem, qui natura talis non est, uel per emancipationem ciuiliter esse desit. Parentes autem adoptiuorum non omnes eodem iure utuntur. Optimae sunt partes eorum, qui per arrogationem liberos affectuti sunt. Cum enim arrogatus familiae patris arrogatoris aggregetur, a) patri eiusque ascendentibus ratione arrogatorum liberorum eadem iura, quae in liberos naturales legitimos ipsis tribuunt leges, competere, satis manifestum est. Vnde ob ius mutuae successionis consequitur, arrogatum secure non testari, nisi arrogatori eiusue ascendentibus legitimam reliquerit.

§. XII.

SPECIATIM DE FEMINA ARROGANTE.

Quamuis autem femina in regula non possit arrogare, a) Princeps tamen hanc facultatem illis concedere potest, quod exemplo suo demonstrant **DIOCLETIANVS ET MAXIMIANVS**. b) Autumat quidem **VINNIVS**, c) talem principis indulgentiam feminis nuptis tantum concedendam esse, quia in his solis locum

b) N. 89. c. ult.

a) I. pen. §. ult. C. de adopt.

c) §. 10. Infl. de adopt.

b) L. 5. C. de adopt.

c) Ad §. 10. I. de adopt.

cum habeat solatum liberorum amissorum, quod tanquam ratio dispositionis allegatur. Verum Imperator LEO innuptis facultatem adoptandi largiens, c) arguento est, Imperantem in tribuendo iure arrogandi ad hanc conditionem non adstringi. Praetor quidem et Iureconsulti ueteres, qui destituti erant facultate leges immutandi, si contra illas aliquid introducere cupiebant, fictione uti cogebantur, ideoque semper tales personas talesque circumstantias, in quas fictio cadere poterat, requirebant. Verum princeps alicui certa iura largiturus, quae illi hucusque per leges non competit, istis fictionibus haud indiget, sed per directam uoluntatis suae declarationem exceptionem a lege facit, uel illam plane abrogat. Quando itaque femina ex permisso principis aliquem arrogat, hic perinde, atque si ex illa progenitus esset, vicem naturalis legitimique filii habet. d) Proinde iura, quae arrogatori eiusque ascendentibus in bona illorum, qui per arrogationem locum legitimae sobolis obtinuerunt, competit, feminae quoque arroganti eiusque superioribus adscribenda sunt.

§. XIII.

DE PARENTIBVS ADOPTIVORVM.

Post ascendentes arrogatorum sese nobis offerunt ascendentes adoptiui, sensu strictiore ita dicti. Satis autem manifestum est, adoptionem plenam hic tantum uenire in computum. Licet enim illi, qui minus plene adoptati sunt, successione ab intestato gaudent, extraneus tamen adoptans testamento illis quicquam relinquere non tenetur, a) et vice

F 3 uersa

c) Non L. con. 27.

a) L. pen. §. 1. C. de adopt.

d) L. 5. C. de adopt.

uerfa testamentum adoptati a patre adoptiuo tanquam inofficiosum accusari nequit. b) Secus haec se habent in adoptione plena, quae efficit, ut, quamdiu adoptatus non emancipatus est, huic omnino debeatur legitima. c) Vnde (per §. II. not. f.) arrogato quoque iucumbit, eandem arrogatori eiusque ascendentibus relinquere. Et quamvis talis adoptator sit e numero ascendentium, ideoque legitima ipsi per se iam competere videatur, adoptio tamen conditionem eius meliorem reddit. Adoptans enim proprius iungitur adoptato, et si natura sit avus, beneficio legis a secundo gradu in primum transfertur, ideoque omnes antea cum ipso simul ad legitimam uenientes excludit.

§. XIV.

FRATRIBVS ET SORORIBVS DEBET VR
LEGITIMA.

Enumeratis itaque variis parentum speciebus, uentilatoque illorum iure petendi legitimam, iam diuertimur ad fratres. Horum sub appellatione continentur quoque forores. a) Vnde, quae in legibus de fratum iure petendi legitimam constituta sunt, merito ad forores applicantur. Et hinc etiam breuitatis causa in inscriptione dissertationis fratres tantum nominauit, et, si idem in sequentibus faciam, forores omnimodo sub fratum nomine complectar. Cum uero fratribus et fororibus detur querela inofficioi testamenti, b) iisdem legitimam competere, ideoque, per Sect. I. §. X. ad consequendum id, quod minus illa acceperunt, remedium nostrum patere, nullum est dubium.

§. XV.

b) L. cit. pr.

b) §. 1. I. de inoff. test. L. 1. ff. Eod,

c) L. cit. pr. et §. 4.

L. 27. C. Eod.

a) L. 93. §. 3. ff. de legat. 3. L. 35. ff.
de padis.

§. XV.

SED IN CERTO FANTVM CASV.

Non autem simpliciter concessa est fratribus legitima, sed plerumque illi eo, quod ipsis forsan relictum, contenti esse debent, siquidem ad querelam, ideoque et ad remedium nostrum non admittuntur, nisi in duobus casibus. Alter est, si turpis persona fratri praelata, alter, si olim liberti, qui perperam et non bene merentes maximisque beneficiis suum patronum affecuti, instituti erant, excepto tamen seruo herede necessario instituto. a) Posterior casus cum ad statum Germaniae uix quadrat, illi non immoror. Quod priorem attinet, turpis persona est, quae infamiae, turpitudinis, uel leuis notae macula aspergitur, uti tradit. L. 27. C. de inoff. testam. Quam legem adeo late patere existimant DD. b) ut etiam omnes sordido uitiae genere utentes, et ex illegitimo coitu procreatos, per eam innui putent. Sed contrarium euincere studuit HEINECIVS, c) magno cum antiquitatibus et eleganteris iurisprudentiae apparatu legem laudatam explicans. Nimurum demonstrat, dictam legem a collectoribus Codicis ex duabus CONSTANTINI constitutionibus compilatam esse, scilicet L. 1. et L. 3. C. Theodos. de inoff. testam. in quarum posteriore dicit Imperator, actionem inofficioſi fratribus relaxatam esse, quum infamiae uitiiſ aspergitur is, qui heres extitit, omniamque fratribus tradi, quae per turpitudinem aut aliquam leuem notam capere non potest institutus. Hinc contendit, Imperatorem respicere ad illos folos, qui per turpitudinem, uel leuis notae

a) L. 27. C. de inoff. test.
b) V. STRVVIVS Exercit. VII.

§. 20. ibique MULLERVS
litt. a.
c) In Diff. de leuis notae macula.

notae maculam hereditatem et legata ipsis relictā capere non poterant. Docet autem ex lege **PAPIA POPPaea**, hos fuisse primo lenones, lenas, feminas ab his manumisssas, personas iudicio publico damnatas, artem iudicram exercentes, et in adulterio deprehensas, secundo autem libertorum liberos, mulieres quaestum corpore facientes, et illos, quorum parentes artem iudicram exercuerunt. Piores, ob turpititudinem suam, cum ingenuis, posteriores cum Senatoriae dignitatis personis nuptias contrahere uetabat lex **PAPIA POPPaea**. Et quo istud decorum eo magis obseruaretur, sanctio erat addita, ut eiusmodi coniuges nihil caperent ex mutua hereditate. Cum autem laudata L. 27. in compendio exhibeat duas **CONSTANTINI** constitutiones, ideoque ex his, tanquam fontibus suis, explicanda sit, ex praecedentibus infert **HEINECCIVS**, personas, per quarum praelationem fratribus relaxata esse dicitur querela inoff. tell., non esse alias, quam praeter infames illae, quos modo enumerauit. Reliquos ob fordidum uitae genus, uel natales illegitimos, leuis notae macula forsan laborantes excludendos esse ab illorum numero, qui fratri uiam sternunt ad querelam. Verum enim uero, quamvis id largendum sit **HEINECCIO**, **TRIBONIANVM**, eiusue socios, immutasse constitutiones **CONSTANTINI**, et ea, quae cum restrictione quadam et cum respectu ad legem **PAPIAM POPPÆAM** statuta erant, generalibus terminis concepisse, data tamen **TRIBONIANO** potestas ueteribus legibus addendi et detrahendi prohibet, quo minus legem a **TRIBONIANO** immutatam reiiciamus, et constitutioni generaliter loquenti restrictionem quam in antiquis legibus deprehendimus, rursus inferamus. Et ex hac ratione in applicatione hodierna cit. legis 27., in qua leuis notae

notae macula adspersi sine limitatione nominantur, illi quoque in computum uenire uidentur, qui uel nostris temporibus tali macula laborant, quamuis non sint in numero illorum, qui ex L. PAPIA POPPÆA hereditatem capere non poterant. Cum autem negari nequeat, spurios hodie a leuis notae macula non immunes esse, fratri sine dubio competit legitima, si spurius ipsi praelatus sit. d) Ille tamen error, quod uitae genus inurat maculam, fatis iam extirpatus est, si solos excoriatores illorumque liberos primi gradus excipias. e) Reliqui ergo, qui sordido uitiae genere utuntur, nec querela nec conditioni nostrac uiam sternet. Et quoniam per legitimationem macula natalium spurios adhaerens penitus abhuietur, fratri nullainfertur iniuria, qui per spurium legitimatum ab hereditate fratris excluditur. f)

§. XVI.

FRATRI, QVI IPSE TVRPIS PERSONA EST, LEGITIMA NON COMPETIT.

Quodsi frater defuncti cum instituta turpi persona similis sit conditionis, de iniuria sibi illata queri non poterit, indeque nec supplementum legitimae petere. a) Quicunque enim tales mores in seipso probat, contra proprium iudicium uenire

d) BRVNNEMANNVS ad L. 27.

C. de inoff. test. nr. 2. 3. MYN.

SINGER Cent. IV. Obs. 31.

CARPZOV. P. I. c. 16. d. 7. et P.

III. c. 10. d. 10.

e) Vid. Concl. Imp. de Ao. 1731.

§. 4.

f) MEVIVS P. IX. dec. 125.

a) Arg. L. II. C. de inoff. test.

WESTENBERG de Port. legitima Diff. IIda cap. 4. §. 7.

MERLINVS de Legit. L. I. T. 2.

Q. 13. nr. 36.

uenire et illos in altero improbare non debet. Et hinc spurius actionem mouere non poterit contra spurium ipsi prae-latum. Attamen cum ultima uoluntas ad articulum mortis referenda sit, similiis conditionis cum instituta turpi persona non est, qui relicto priori uita genere honestiores mores induit, aut restitutam accepit famam, aut leuis nota macula purgatus est. Vnde non iniustis rationibus testamentum fratri, in quo turpis persona instituta est, inofficium dicet spurius legitimatus, quia defunctus, cum testamentum mutare potuisset, idem facere neglexit. b)

§. XVII.

OPINIO ILLORVM, QUI FRATRIBVS GERMANIS
SIMPLICITER LEGITIMAM ATTRIBUVNT,
VENTILATVR.

A communi opinione, in omnibus fratribus legitimam petentibus requirente iniuriam, per turpem heredem institutum illatam, recedunt VAN DE WATER a) et HERTIVS b) contendentes fratres germanos nequidem per honestam personam a legitima excludi, et in consanguineis tantum requiri, ut persona turpis praelata sit. Fundamentum suae sententiae in eo ponunt, quod L. 27. C. de inoff. test. solos consanguineos nominet. Germanis autem simpliciter datam suisse asserunt querejam ante CONSTANTINV M, qui in L. 3. C. Theod. de inoff. test. ius illud ad consanguineos eatenus extenderit, ut hi etiam in certis casibus testamentum fratri tan-

quam

b) Ita simili fere in casu rationes subducunt Imperatores in L. 3. C. de inoff. test.

b) Diff. de fratribus germani quere-la inofficioſi testamenti aduerſus quoscunque.

a) Obſeru. L. I. c. 12.

quam inofficium accusare possent. Sed ipsis legibus propriis examinatis omnis ueri similitudo huius asserti evanescit. Etenim, ut ab illa quaestione, an tempore laudatam **CONSTANTINI** legem proxime antecedente germanis contra quoscumque data fuerit querela, abstineam, obseruo tantum in hac ipsa lege, ad quam prouocant dissentientes, non consanguineos, sed praecife germanos nominari, et his aduersus eos tantum heredes querelam relaxatam esse dici, quibus iniustas esse notas detestabilis turpitudinis constiterit. Regerunt quidem per germanos saepius intelligi consanguineos ideoque **CONSTANTINVM** sancientem, ut fratribus non nisi cum restrictione daretur querela, hos solos innuisse. Sed maxime a uero abludit, legislatorem, ex instituto aliquid noui ordinare et differimen inter duo fratrum genera stabilire cupientem, uocabulo adeo aincipit usum fuisse, quem aliud magis proprium in promptu effet. Propterea potius dicendum erit, Imperatorem non intendisse, differentiam inter fratrem germanum et consanguineum statuere, et per uocem *germanis* tam germanos proptie dictos, quam consanguineos intellexisse. Postiores enim quandoque sub germanorum nomine uenire, et ipsi dissentientes largiuntur, et pluribus euicit **GODOFREDVS. c)** Et idem uel inde fit probabile, quod non uerosimile sit, Imperatorem ius fratrum circa querelam in duobus illorum generibus ordinasse, tertium autem intermedium siluisse, nisi posterius alterutri priorum annumerauerit. Tribonianus autem, sentiens ambiguatem uocabuli *germanis*, non immerito illi substituit uocem *consanguineis*, qua mutatione nec germanos excludi, per se patet. Quodsi quis adhuc dubitet, an

G 2

ger-

Ad L. I. C. Theod. de inoff. test.

germanorum ius in legitimam aequa limitatum sit ac consanguineorum, illum satis superque conuinent plures, quae in corpore IURIS IUSTINIANEO deprehenduntur, leges, d) in quibus fratribus querela inoff. test. sub conditione, si turpes personae scripti sint heredes, conceditur, et *interdum* legitima deberi dicitur, sed inter germanos et consanguineos minime distinguitur.

§. XVIII.

DIVERSAE FRATRVM SPECIES TRADVENTVR.

Euicta igitur restrictione, sub qua fratribus competit ius legitimam sibi vindicandi, iam perlustremus diversas illorum species, et, cui debetum legitima, cui uero deneganda sit, expendamus. Distinguendi sunt fratres vel intuitu ipsius vinculi, quo inter se coniunguntur, vel ratione modi, quo illud nectitur. Vinculum ipsum mox duplex est, ita ut fratres communem habeant utrumque parentem, mox uero simplex. Prius producit speciem fratrum germanorum, posterius consanguineorum vel uterinorum, prout uel per patrem tantum, uel per matrem solam coniunguntur. Sin autem modum consideras, quo illud vinculum constituitur, fratres eodem modo, uti supra §. IV. ascendentis, distinguendi ueniant in naturales et ciuiles, ac illi rursus in legitimos, legitimatos, et illegitimatos, quorum postremi iterum in naturales stricte sic dictos, spurious, et ex coitu damnato natos abeunt.

§. XVIII.

d) §. 1. Inst. de inoff. testam. Nou. i. praef. §. 2.

§. XVIII.

NON SOLVM GERMANIS, ET CONSANGVINEIS SED
ET VTERINIS DEBETVR LEGITIMA.

Fratres germanos, si qui ulli, remediis ad legitimam
tendentibus uti posse, eo minus dubii habet, quo magis cer-
tum est, illa etiam consanguineis dari. a) De uterinis quid
dicendum sit, est res inter Iureconsultos maxime contro-
uersa. Querelam inoff. test. illis denegant praeter alios c v i a-
c i v s, b) RANCHINVS, c) REINOLDVS, d) et qui nuper
uterinorum causam omni opera impugnauit Consultiss.
PÜTTMANNVS. e) Sed potiori iure illis eam tribuere vi-
dentur WESTENBERGIVS, f) MARCKARTVS, g)
GRIBNERVS h) et BOEHMERVS i) quorum sententia
hic erit adstruenda. Temporibus CONSTANTINI, quibus
ius circa querelam, olim valde fluctuans, magis fixum erat et
stable, in iis, qui linea transuersa defuncto iuncti erant,
duo requirebantur, ut querelam instituire possent. Alter-
um erat, ut is, qui queri uellet, defuncti frater uel foror es-
set, k) alterum uero, ut iure ciuili ab intestato succederet
illi, de cuius hereditate quaerebatur. Quod ius successio-
nis, cum non nisi agnatis competebat, sub uoce agnationis

G 3 innui-

- a) L. 27. C. de inoff. test.
- b) Ad Nou. 84.
- c) In Tract de Success. ab intest.
- § 17.
- d) In Diff. de Causis, in quibus
etiam nunc querela inoff. test.
est necessaria. § 14.
- e) In Diff. de Querela inoff. test.
fratribus uterinis haud conee-
denda.
- f) De Port. legit. Diff. II. c. 4. §. 5.
- g) Interpret. recept. I. C. lect. L.
I. c. 14.
- h) In Diff. utrum fratres instituta
querela inoff. test. probare te-
neantur, se non finisse ingratos.
- i) In Diff. de querela inofficiose
fratrum consanguincorum. §.
ult.
- k) L. 21. C. de inoff. test.

innuitur. De hac autem CONSTANTINVM valde sollicitum fuisse, manifesto demonstrat ipsa illa constitutio, ¹⁾ in qua fratres uterinos a querela remouit. Disertim enim requisiuit, ut in fratribus consanguineis, qui testamentum fratris tanquam inofficium accusare uellent, agnationis vinculum adhuc duraret. Cum uero ultra duplcem, quam nominauit, qualitatem, in collateralibus queri uolentibus quicquam requisitum esse non deprehendamus, nulla dubitandi ratio adest, quin defectus agnationis in causa fuerit, ob quam CONSTANTINVS a querela inoss. test. fratres uterinos arceri uoluerit. Itaque postquam IVSTINIANVS in L. 15. C. de legit. hered. sanxit, fratrem uterinum una cum consanguineo ad legitimam hereditatem uocandum esse, et per Nov. 118. c. 4. omne discrimen inter agnatos et cognatos fulsis, cessat impedimentum quod uterinis obtabat. Et hinc est, quod illis hodie legitima eodem iure tribuatur ac consanguineis. Contendunt quidem dissentientes, laudatam Nouellam ad solam successionem ab intestato pertinere, a qua concludi non posset ad querelam ab intestato. Sed respondeo, citatum cap. Nouellae 118. spectare ad omnem successionem, quae immediate ex lege descendit. Imperator enim generalibus terminis adhibitis ita constituit: *Nullam uero uolumus esse differentiam in quacunque successione qui hereditate inter eos, qui ad hereditatem uocantur, masculos ac feminas, quos ad hereditatem communiter definitius vocari, sive per masculi sive per feminae personam defunctorumque differentiam uacare praecepimus.* Memorat quidem Imperator in sequentibus successionem ab intestato, uerum non

^{et}
1) L. 1. C. Theod. de inoss. test.

ea ratione, ut dispositionem praecedentem ad eam restrin-
gat, sed potius ut ea, quae generaliter de successionibus in
antecedentibus statuerat, ad singularem illam, quam in
prioribus huius Nouellae capitibus ordinauerat, speciem ap-
plicet. Quamvis autem uetus disserimen inter fratrem con-
sanguineum et uterinum hodie sit sublatum, uterque tamen
excluditur a legitima per fratrem germanum. Cum enim
post hunc demum consanguinei et uterini ad successionem
ab intestato admittantur, m) necessario sequitur, ut etiam a
legitima, quae illius successionis partem constituit, per illum
excludantur. Inter fratres itaque in petenda legitima pri-
mae sunt partes germanorum, post hos autem consanguinei
et uterini aequali iure concurrunt.

§. XX.

OBJECTIO PRIMA.

Evidem dicent contrariae sententiae fautores, ratio-
nium, quo ius fratum uterinorum in legitimam probare
studii, per L. 27. C. de inoff. test. prorsus infringit. Illa enim
lege demonstrari putant, causam, quare uterini sint exclusi
suisse aliam, quam quidem agnationem, ideoque per sublatio-
nem disserimini inter agnatos et cognatos, nondum, quan-
tum ad ius in legitimam, consanguineis exaequatos esse uteri-
nis. Et pro hac sententia primo obtutu militare uidetur,
quod, cum in L. 1. C. Theod. fratribus germanis querela
tantum, durante agnatione, patere dicatur, compilatores codi-
cis duas uoculas uel non, subiunxerint, ideoque consan-
guineos, quamvis non amplius agnati essent, admirerint ad

que-

m) Nou. n8. c. 3.

querelam, a qua tamen in eadem lege uterinos adhuc excluderunt. Verum nihilominus salua res est. **C O N S T A N T I N I** enim tempore defectum agnationis, et cum illa coniunctae successionis ab intestato, fuisse rationem, ob quam uterini non habuerunt querelam, ideoque Imperatorem in fratribus agnatis, querela inoff. test. agere cupientibus, expresse requisiuisse, ut agnatio duraret, praeced. §. XVIII. iam indicauit. Et ui huius constitutionis fratribus agnatis, postquam emancipati erant, querela non patebat, siquidem tunc temporis per emancipationem ius succedendi fratribus ab intestato amitterebant. In sequenti autem aeuo constitutum est, a) ut etiam emancipatus frater fratri ab intestato succederet. Et hoc compilatores Codicis mouebat, ut constitutioni **C O N S T A N T I N I** infererent uoculas: *uel non*, et ita fratres, qui semel agnati fuerant, etiam admitterent ad querelam, quamvis agnatio, salvo tamen iure succedendi ab intestato, non amplius duraret. Cum uero uterini iure civili nondum eadem successione ab intestato gauderent, quae quidem data erat consanguineis emancipatis, ratio, quae intuitu consanguineorum determinabat compilatores ad mutandam **C O N S T A N T I N I** legem, deficiebat in uterinis, ideoque passus legis hos spectans immutatus relinquebatur.

§. XXI.

O B J E C T I O S E C V N D A.

Rursus instant dissentientes, fratres uterinos per ipsas leges Codicis inter agnatos esse relatos, indeque, cum nihilominus

a) L. II. C. de legit. hered.

minus collectores Codicis uterinis denegauerint querelam, afferi non posse, legem 27. C. mutatam esse per Nou. 118. Verum si leges, ad quas prouocant, et ea, quae in singulis constituantur, probe inter se comparabis, simulque temporum, quibus illae promulgatae sunt, rationem habebis, illas nobis non refragari inuenies. Prima scilicet L. 14. C. de legit. hered. promulgata est A. 10XXXII. ideoque ante compositionem Codicis repetitae p[re]electionis. Sed in hac discrimen inter agnatos et cognatos non tollit **IUSTINIANVS**, diserte professus in princ. se loqui de personis per virilem sexum descendantibus. Attamen, dices, §. i. addit Imperator, ut germanae consanguineae uel fororis uterinae filius uel filia, una cum fratri filio uel filia, ad successionem auunculi uocentur. Sed caue, ne a liberis fororis uterinae ad fratrem uterinum ducas argumentum. Nam expresse declarat ibidem Imperator, se *unum gradum* cognitionis in legitimam successionem uelle transferre, caeteris omnibus successionibus secundum ius eo usque obseruatum in statu suo manentibus. Clarius uero adhuc patet, ex L. ult. C. de legit. hered. Imperatorem in L. penult. nec supposuisse, nec intendisse sublationem discriminis inter ipsos fratres consanguineos et uterinos. In illa enim, utpote A. 10XXXIV. fancita, constituit demum, ut fratres uterini una cum consanguineis ad successionem ab integrato ueniant.

§. XXII.

OBJECTIO TERTIA.

Ex hac itaque lege maiori forsan specie ueri demonstare fuscipias, uterinos eo tempore, quo collectores Co-

H

dicis

dicis constitutionem CONSTANTINI, fontemq[ue] legis 27. C. de inoff. testam., aliqua ex parte immutabant, consanguineis iam exaequatos esse, ideoque compilatores, uterini adhuc denegantes querelam, consulto illorum exclusionem intendisse, et a paritate, alias inter uterinos et consanguineos obtinente, exceptionem statuere voluisse. Verum dupli responsione causam uterinorum defendere licet. Primo enim ex subscriptione legis ult. C. de Legit. hered. manifestum est, illam idibus Octobris promulgatam esse. Pone autem laudatam legem 27. mensie Iunio vel Julio a compilatore suo compositam esse. Secundum hanc hypothesin, cui quid obstet, non video, differentia inter fratres uterinos et consanguineos tempore compositae legis 27. nondum sublata erat, indeque nulla ratio mouere poterat iureconsultum, ut legem CONSTANTINI, qua exclusionem uterinorum, immutaret. Deinde quamvis etiam largiamur, laudatam L. ult. iam suisse publicatam, quum L. 27. compilaretur, et in iustum locum referretur, plura tamen huius rei exempla nobis afferere permittunt, compilatorem huius legis necessarium haud existimasse, immutationem illam suscipere, utpote qui probe sciret, Codici insertum iri constitutionem IVSTINIANI, qua huic legi derogatum esse quilibet intelligeret. Consultum potius illum duxisse dicas, passum legis, uterinos spectantem, haud mutare, ut ex comparatione legum Codicis de historia immutati sub IVSTINIANO iuris eo melius constaret. Ita saepius usu uenisse collectoribus Codicis, luculento exemplo demonstrant L. 34. et L. 36. §. ult. C. de donat. In priore illarum sancit Imperator, ut donatio, trecentos solidos excedens, insinuetur actis, et in posteriore constituit, ut insinuatio non sit necessaria, nisi ultra quingentos solidos dona-

donatum esset. Et quamvis facillimum fuerit, priorem legem statim secundum posteriorem immutare, nec praesumendum sit, compilatores legem 36., quae fere immediate sequitur legem 34., rescribentes, huius fuisse immemores, nihilominus legem 34. immutatam reliquerunt.

§. XXIII.

DE FRATRIBVS LEGITIMIS ET LEGITIMATIS.

Hactenus considerauimus fratres, quatenus ratione uinculi ipsius in diuersas abeunt species. Iam progrediamur, ad alteram illorum diuisionem §. XVIII. indicatam. Primi se offerunt legitimis. His autem competere legitimam eiusque, si tota relicta non sit, supplementum, non est, quod ulli ambigamus, siquidem de illis summo iure ualent, quae §. XIV. dicta sunt. Illud tantum monendum uidetur, matrimonium putatuum, quod ad liberos, plane pro legitimo haberi, (§. V.) ideoque fratres ex tali coniugio suscepitos, tam inter se quam iratione liberorum a parentibus iisdem ex alio matrimonio procreatorum, iuribus legitimorum fratribus gaudere. De legitimatis per subsequens matrimonium idem ualeat, quod de legitimis. Illos enim aequa lance trutinari iubet IUSTINIANVS a) cum fratribus legitimis, quin mutua fratribus officia eo minus cessant inter legitimos et istos legitimatos, quo magis, secundum eiusdem Imperatoris effatum, b) illi gratias agere debent his, qui occasionem dedebunt, ut illi iustorum filiorum et nomen et ordinem conf-

H 2

que-

a) L. 10. C. de natvr. liber.

b) L. 10. C. cit.

querentur. In legitimatione per rescriptum principis a tenore legitimationis omnia pendere, supra §. VII. iam indicaui. Ex iis itaque, quae ibi allata sunt, hic tantummodo conclusio, legitimatum per rescriptum principis non posse fratris testamentum inofficium dicere, uel praeter ea, quae testamento relictâ, quicquam petere, nisi legitimatio perfecta et quidem simpliciter talis intercesserit.

§. XXIV.

D E F R A T R I B V S I L L E G I T I M I S.

Si quaeris, quid circa fratres illegitimos et quidem naturales ac spurios iustum sit, distinguendum est ius Romanum ab hodierno. Et iure Romano, quantum ad naturales, iterum fecernendae uidentur quaestiones. Etenim sanguinis vinculum uel per patrem tantum nexum est, uel per matrem solam, uel per utrumque parentem. Primi generis fratres quasi ex fungo geniti, et inter se ne quidem cognati esse credebantur, ita ut quamvis frater naturalis per oblationem curiae legitimatus esset, omnis tamen successio inter illum et legitimum, per patrem tantum coniunctum, cessaret. a) Vnde luce meridiana elarius patet, hoc casu nullo modo legitimae nomine quicquam vindicari posse. Fratri autem naturali, qui legitimo fratri per matrem iunctus est, legitimam indeque et supplementum eius competere, uel ex eo colligitur, quod illud ne quidem circa uulgo quaesitos negari possit, uti statim videbimus. Et idem de fratre naturali, per utrumque parentem coniuncto, dicendum esse, nemo non uidet.

Quod

a) Nou. 89. c. 4.

Quod spurios attinet, illi quidem tam fratri ex iustis nuptiis, quam citra illas procreato cognati erant, quia cognatio obtinet inter plures personas, quae per eandem matrem sanguine iunctae sunt; b) agnatione autem, utpote a patre descendente, c) destituebantur. Quod cum in causa fuerit, ut fratres uterini olim non admitterentur ad legitimam, quemadmodum supra §. XVIII. uidimus, necesse est, etiam spurios ab illa fuisse exclusos. Postquam vero IVSTINIANVS eadem iura largitus est cognatis, quae antea solis agnatis competitabant, et ita obstaculum illud, quod fratres spurios arcebat a legitima, sublatum est, hi non minus ad illam uocantur, ac legitimi. Excipiens tamen uidetur casus, quando mater fuerit illustris, et alter filius eius fuerit legitimus, alter uero spurius. Cum enim hunc tanquam familiae iniuriosum iudicauerit IVSTINIANVS, d) temporibus suis indignum existimans, ut mulier illustris spurios habere dicatur, hos a legitima familia matris prorsus separare et omni successione excludere uoluisse, est uerosimile. Haec omnia tamen hodiernis temporibus longe aliter se habent, cum liberi citra legitimum matrimonium procreati leuis notae macula laborant, a qua iure Romano immunes fuisse uidentur. Cum enim hac ratione ipsi sint personae turpes, frater per institutionem turpis heredis illis non infert iniuriam, (§. XVI.) ideoque illi contenti debent esse eo, quod iis forsitan affignat fratriss liberalitas. Eos uero, qui amplexibus damnatis natales suos debent, quum ab omni beneficio successionis arceantur, e bonis fratum legitimae nomine nihil petere posse, satis manifestum est.

H 3

§. XXV.

b) §. 4. I. de Success. agnatorum.
c) Cit. §. 4. Inst.

d) I. 5. C. ad SCtum Orphit.
e) Nou. 89. c. ult.

§. XXV.

DE FRATRIBVS ADOPTIVIS.

Agmen claudant fratres ciuiles, seu illi qui per institutum ciuile, nimirum adoptionem a parentibus nostris factam in numerum fratrum nostrorum referuntur. a) In his normam iudicandi praebent, quae supra §. XI. et XIII. iam dicta sunt. Arrogatus itaque, cum arrogatoris familie aggregateatur, b) turpem personam heredem instituere nequit, nisi liberis arrogantis salua sit legitima, et ita vice versa quoque ex horum bonis, si per turpem personam a legitima ex parte exclusus sit, eius supplementum iure sibi vindicat. Adoptatus ab extraneo cum familia adoptantis nullam communionem habet. c) Adoptatus autem ab ascendenre liberis adoptantis proprius iungitur, et, si non emancipatus est, ius legitimam eiusue supplementum petendi merito sibi afferit, quo antea forsan gauisus non erat.

a) L. 23. ff. de adopt.

c) L. cit §. n. in f.

b) L. pen. §. ult C. de adopt.

T A N T V M.



PRAE.

PRAENOBI LISSIMO ATQVE CONSULTISSIMO
DOMINO CANDIDATO

CONRADO HEINEKEN

S. P. D.

D. IOHANNES IACOBVS HOEFLER
ORDINIS ICTORVM H. T. PRO DECANVS.

Bene redeque Plautus in *Amphitru.* act. II. sc. II. perhibet:

Virtus praemium est optimum.

Virtus omnibus rebus anteit profecto.

Libertas, salus, uita, res, parentes,

Patria et pregnati tutantur, seruantur:

Virtus omnia in se habet: omnia affunt bona, quem
penes est uirtus.

Hoc dicto sine dubio indicare uoluit Poeta, illos sibi optime prospicere, qui non fortunae bonis freti uirtute etiam suas secundas res stabilire cupiunt. Illa enim fluxa sunt; haec clara perpetuaque habetur. Quam uiuendi rationem et TV PRAENO-
BILISSIME DOM. CANDIDATE praeclare laudabiliterque
secutus



secutus es. Nam ortum ducis a CONSPICVIS PARENTI-
 BVS, nec fortuna TIBI est aduersa. At solidam eruditionem
 atque morum suavitatem TVA TIBI uirtute comparasti.
 Quae legregiae animi dotes non possunt non esse TIBI maximo
 honori et tutissimo felicitatis praesidio. Magni aestimato PRAE-
 STANTISSIME DOM. CANDIDATE eximias TVAS
 uirtutes TVAE QVE confutudinis, qua tum inacrostibus meis tum
 in consilio usus sum, grata mihi semper erit memoria. Adhac de-
 lector TWO haud proletariae iuris scientiae specimen, quod
 pro summis in utroque iure honoribus consequendis exhibes et
 proprio Marte defendis. Ex quo simul coniicere licet, quid
 commodi a doctis TVIS laboribus in rem publicam et litterar-
 iam possit redundare. Gratulor ergo TIBI summos ORDIN-
 IS NOSTRI honores optimo iure meritor; gratulor INCLV-
 TAE REI PUBLICAE BREMENSI de ciue summae spei;
 gratulor TWO AMPLISSIMO DOM. PARENTI de filio
 egregiis uirtutibus ornato. Seruet TE DEVS IMMORTALIS
 ad seros usque annos, mi SVAVISSIME HEINEKEN, semi-
 per saluum incolumentque. Et quem ad modum TVI memo-
 ria nunquam non mihi iucundissima erit; ita fore, ut pari
 amore me perpetuo prosequaris, spero atque confido. Dabam in
 Academia Julia Carolina IIII. Nonarum Aprilis

cI9CCLXII.

VIRO

V I R O

PRAENOBILISSIMO ATQVE CONSULTISSIMO
C O N R A D O H E I N E K E N
 AMICO EXOPTATISSIMO

S. P. D.

PHILIPPVS SCHOENE.

Nostri quidem, Amicorum Optimè, quanti TE faciam, quantumque uoluptatis ex omnibus rebus, quae prospere TIBI eveniunt, capere solem; non possum tamen, quin hodierno die publicum meae erga TE uoluntatis, meaque laetitiae, documentum exhibeam. Quid enim exoptatius contingere mihi unquam potuisset, quam TECVM, quem indiuisum per omnem fere

ODIV

I

uitam



uitam in studiis habui tomitem, laborum academicorum metam
attingere, eodemque tempore honoribus doctoralibus exornari?
Gratulor equidem de hac re mihi aequae ac **TIBI, DOCTIS-**
SIME HEINEKEN, et utrique nostrum felicissimos inde
auguror euentus. *Vota* hac occasione pro **TVA** salute, qua
magna felicitatis meae pars continetur, nuncupo sincerissima.
Fausta sunt **TIBI** perpetuo haec, quae inter uotios bonorum
omnium applausus reportas, doctrinae uirtutisque **TVAE** pree-
mia. Redreas mecum in patriam saluus etque incolaris, ibique in
posteriorum quoque fructus **TVORVM** laborum capias uberrimos
dulcissimosque. Augeas in dies conspicuae gentis **TVAE** splendo-
rem, uitamque agas omni felicitatis genere florentissimam. Ita
uale, Amice Optime, meque, quod facis, amare perge.

Dabam Helmystadii die **II.** Aprilis

M D C C L X I I .

VIRO

V I R O
 P R A E N O B I L I S S I M O A T Q V E C O N S U L T I S S I M O
 H O N O R V M D O C T O R A L I V M C A N D I D A T O
 D I G N I S S I M O
 C O N R A D O H E I N E K E N

S. P. D.

A L B E R T V S G R Ö N I N G

B R E M E N S I S.

Quo diffusor legitima nostra scientia est, et quo magis id unum
 quemque limina eius intrantem deiertere potest; eo maiorem procul
 omni dubio TIBI parasti gloriam, VIR C O N S U L T I S S I M E,
 A M I C E inter paucos D I L E C T E, qui indecessa T V A industria,
 omnibus impedimentis felicissime superatis, singulas Iurisprudencie
 partes pari cura et studio persecutus, uniuersum Iuris campum
 fortunato successu emensus es.



Iure igitur meritoque TVO maximo, CANDIDATE
DIGNISSIME, Amplissimus ICtorum ordo, praemium erudi-
tionis prorsus singularis, praeclaro proditae specimine, quod
publici iuris fecisti publiceque defendendum proposuisti, summum
scilicet in utroque Iure honoris gradum, propedium TIBI decreuit
conferendum. De cuius legitima admodum acquisitione ut hisce gra-
tuler TIBI, cum sincera, quae semper inter nos intercessit, suadet
amicitia, tum opponentis, quo me beneuelle exornare uoluiisti,
munus optatissimum praebet occasionem.

P. 307.

Det Nuenen Immortale ardentissimis precibus meis locum,
seruetque TE ad summam usque senectutem ab omni incommmodo,
detrimento, molestia mentis ac corporis incolunem. Vnde for-
tunatus et omnibus felicitatum generibus cumulatus: no-
ui, quos consecutus es, honores uiam TIBI ad altiora munera
sternant: doctrinae TVAE egregiam facultatem, aliorum in-
seruendo commodis, ostendas feliciter. Sis usque decus Patriae,
sis Splendidissimae Familiae TVAE ornamentum, et mihi
omnibusque qui amicitia TVA delectantur, sospes atque incolamus
fauas. Id quod omni, qua par est, obseruantia a te peto.
TVAEque amicitiae me iterum iterumque conmendo.

Dabam, Helmstadii die IV. Aprilis.

M D C C L X I I .



ULB Halle
003 742 423

3



f

TA → OL

nur 1+3 Stück verknüpft



10
1762, 1 44

DISSERTATIO IURIDICA INAVGVRALIS
DE
PARENTIBVS ET FRATRIBVS
EX LEGE XXX. C. DE INOFFICIOSO
TESTAMENTO AGERE VALENTIBVS

P. 302.

QVAM
IN INCLVTA ACADEMIA IULIA CAROLINA
ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS
AVCTORITATE ET CONSENSV
PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE
HONORIBVS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS
AD DIEM II. APRILIS MDCCXLII.
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVENTIS
IN IVLEO MAIORI
PVBLICE DEFENDET
CONRADVS HEINEKEN

BREMENSIS

HELMSTADII
EX OFFICINA LEVCKA

